



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinqve

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio XIII. De causa proxime ministrante sacramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

formam intentionem suam Ecclesia, quantum ad primam, re-
ctitudinem, non autem, quantum ad secundam, persequi qui-
dem sacramentum, sed non est sibi ad meritum.

Ad secundum dicendum, quod intentio ludicra, vel iocosa
excludit primam rectoritudinem intentionis, per quam perficitur
sacramentum, & ideo non est similis ratio.

Ad tertium dicendum, quod peruersa intentio pervertit o-
pus intendenti, non autem opus alterius. Et ideo ex peruersa
intentione ministri, pervertitur, quod id agit in sacramentis,
in quantum est opus eius non in quantum est opus Christi, cui-
us est minister. Et est simile, si minister alicuius hominis, prava
intentione deserret pauperibus elemosinam, quam Dominus
recta intentione mandaret.

Itera huius articuli clarissima est, doctrina vero
Leius comprehensa est in illa, quæ artic. 5. & 8. est
tradita.

DISPUTATIO XIII.

De causa proxime ministrante sacramenta.

N hac disputatione explicanda sunt om-
nia, quæ ex parte ministri necessaria
sunt ad veritatem sacramenti: unde
primo dicemus de persona, deinde de
actibus, quos adhibere debet ad sacra-
mentum perficiendum, ut factum teneat, & exclu-
demus alias condiciones, quæ simpliciter necessariae
non sunt. De his vero, quæ ad dignè ministrandum
sacramentum feruari debent, commodius dicemus
inferius in moralibus disputationibus.

SECTIO I.

Virum omnes & soli homines possint esse sacramentorum mi-
nistri.

Pincipio statuenda est generalis regula in com-
mentarijs articulo indicata, quæ est basis &
fundamentum omnium, quæ dicenda sunt, scilicet
illud esse sufficientem, ac necessarium ministrum ad
sacramentum conficiendum, quem Christus sua in-
stitutione designauit. Probatur, quia, ut Conc. Flo-
rent. docuit, sacramenta tribus perficiuntur, mate-
ria, forma & ministro, ergo necesse est, ut qui sacra-
mentum instituit, hæc tria statuatur atque designet, quæ
sunt de necessitate sacramenti. Quia institutio sacra-
menti hæc omnia includit: ergo sicut in vnoquoque sacra-
mento, quæ sit materia vel forma sufficiens aut
necessaria, ex Christi institutione petitur, ita de mi-
nistro ratiocinandum est. Et confirmatur: nam hæc
ratione sacramentorum ministri dicuntur operari,
ut instrumenta & organa, quæ vicem Christi gerunt,
non solum respectu effectus sacramenti, sed in ipso
met sacramento conferendo. Ita sumitur ex Augusti-
no, tract. 5. & 6. in Ioann. vbi penderat verbum illud,
Hic est, qui baptizat, id est, Christus. Quia licet Pe-
trus baptizet, tamen id facit, ut minister à Christo
deputatus, idem lib. 3. contra Cresconium. cap. 8. vbi ad-
dicere illud 1. ad Cor. 9. Neque qui plantat est aliquid, ne-
que qui rigat: & lib. 1. contra litter. Petilian. c. 7. com-
parat ministrum sacramenti cum ministro Euange-
lij, quatenus vterque operatur, ut legatus Christi. Ad-
dit vero lib. 5. de Baptismo, cap. 14. consideratione
dignum esse, Paulum interdum vocare Euangelium
suum, nunquam tamen appellasse baptismum suum:
Quia licet in vtroque munere sit homo minister Chri-
sti, speciali tamen modo in collatione sacramenti,
quam in fidei prædicatione. Nam in hac potest homo
aliquid de suo ponere, aut in modo aut in doctrina
expositione, aut in similibus: tamen in sacramento
tradendum totum, quod ad substantiam pertinet,
fit ex institutione & virtute Christi. De qua re plura
legi possunt apud eundem Augustinum, lib. 3. contra
litter. Petilian. c. 8. 49. & 55. & alij lib. contra Donati-
stas. Vltimo adiungi potest ratio, quia conficere sa-
cramentum, est opus supernaturale: nam conficere
Franc. Suarez Tom. 3.

signum efficax gratiæ: sed nulla creatura ex se habet
hanc potestatem: ergo oportet, ut illam recipiat ex
diuina institutione.

Hoc posito, dico primo. Solum homines sunt suffi-
cientes ministri sacramentorum. Hæc est mens Diui
Thomæ hic, ar. 7. atque idem docet Alex. Alenf. 4. par.
q. 16. memb. 4. Gab. d. 6. q. 1. Soto, d. 1. q. 5. art. 4. & reli-
qui. Probatur primo ex Christi institutione in singu-
lis sacramentis: nam solis hominibus dixit Matth. vl-
mo, Baptizantes eos, & Luc. 22. Hoc facite, & Ioan. 20.
Quorum remiseritis peccata: & Iacobi similiter dici-
tur. Vocet presbyteros Ecclesiæ: & Acto. 8. Apostoli
mittuntur ad confirmandos eos, qui fuerant in Sa-
maria ad fidem conuersi. Denique ad Ephes. 5. inquit
Paulus de Christo, ascendens in altum captiuam du-
xit captiuitatem, dedit dona hominibus: & postea
subiungit, Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos,
quosdam autem Prophetas, alios vero Euaγγελistas,
alios autem Pastores & Doctores ad consummatio-
nem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem
Corporis Christi. Totum ergo hoc ministerium com-
missum est hominibus: de quibus propterea dicitur
ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Chri-
sti, & dispensatores mysteriorum Dei. Secundo asseri
possunt congruentiæ huius institutionis. Prima,
quia præcipui ministri sacramentorum, & qui ex of-
ficio ad hoc constituuntur sunt sacerdotes: sacerdos
autem (ait Paulus ad Hebr. 5. oportet, ut sit ex homi-
nibus assumptus, ut pro hominibus constituatur in
his, quæ sunt ad Deum. Quam congruentiam attigit
D. Tho. in art. 5. & optime illam confirmat, quia sum-
mus Pontifex Christus, qui est præcipuus author sa-
cramentorum, est verus homo, & ideo expedit, ut mi-
nistri sint illi in natura conformes. Secunda adiungi
potest, quia illi, quibus ministranda sunt sacramenta,
sunt soli homines: ergo ut seruetur proportio oportet,
ut ministri etiam sacramentorum sint homines.
Tertio, fuit hoc Ecclesiæ conueniens: nam cum hu-
mana & visibilis sit, debuit per humanos, ac sensibi-
les ministros gubernari: ergo etiam oportuit, ut ab
eisdem sacramenta ministrarentur: ergo angelici spi-
ritus non erant ad hoc ministerium accommodati.
De inferioribus vero creaturis, nihil dicere oportet:
quia cum ratione careant, omnino sunt huius mini-
sterij incapaces. Quarto addit Caietanus fuisse con-
ueniens, ut sacramenta constarent verbis: soli autem
homines possunt propria verba proferre: nam licet
Angeli in coporibus assumptis possint efficere sonum
verbis similem, non tamen possunt veram locutio-
nem efficere, ut docuit D. Thom. 1. par. quæst. 51. art. 3.
ad 4. Dices: ille sonus in ipsa motione, vel qualitate,
vel signo sensibili, nihil differt à propria locutione
humana, sed solum in habitudine, seu emanatione
ab organis vitæ, & animæ informantibus illa, hoc autem
nihil differre videtur à ratione sacramenti, quæ con-
sistit in signo sensibili: ergo hoc nihil obstat, quominus
Angelus per corpus assumptum possit proferre
verba ex se sufficientia, ad constituendum sacramen-
tum. Respondetur [quidquid sit de physica distin-
ctione inter vtrumque sonum, quæ ad præsentem dis-
positionem non refert] propria verba & humanam
locutionem esse necessariam ad formam sacramenti,
quod colligimus ex Christi institutione qui solis ho-
minibus præcepit, ut illis sensibilibus verbis, quibus
exprimere solent conceptus suos, ad conficienda sa-
cramenta vterentur.

Tandem, si per singula sacramenta discurramus: de
sacramento Matrimonij nulla potest esse controuer-
sia, quia in illo nullus requiritur minister præter ipsos
contrahentes, quos non posse esse, nisi homines, satis
per se notum est. De quinque vero alijs sacramentis, in
quibus necessarius est minister consecratus, & charac-
tere Ordinis insignitus, satis etiam constat, eorum
ministrum, non posse esse, nisi hominem, quia nullus
est capax sacramenti Ordinis, & characteris, nisi
homo.

homo. Igitur solum relinquatur sacramentum Baptismi, de quo possit dubitari. Nam Scotus in 4. distict. 6. quest. 1. sentit, Angelum posse esse ministrum huius sacramenti, quia potest per corpus assumptum abluere, & verba proferre, & per se potest id facere debita intentione. Cui sententiae fauere videtur August. lib. 2. contra Parmen. c. 15. dicens. Nemo accipit sine dante: sed quod attinet ad sanctitatem Baptismi, adest Deus, qui dat, siue per hominem siue per Angelum. Dicendum est tamen, secundum legem ordinariam, solum hominem posse esse ministrum in sacramento: propter omnes rationes supra adductas, quae satis declarant hanc fuisse Christi institutionem, atque hanc esse ordinariam legem. Vnde Concilium Florentinum in decreto Eugenij, assignans ministrum huius sacramenti, tam ordinarium, quam sufficientem in casu necessitatis, solum facit hominum mentionem. Augustinus vero loquitur, non de lege ordinaria Baptismi, sed de varijs modis, quibus Deus potest sanctitatem conferre, vel per hominem, vel per Angelum, vel ut ipsemet addit, per se ipsum, cum tamen certum sit, Deum per se ipsum non conferre sacramentum Baptismi iuxta ordinariam legem: loquitur ergo Augustinus de eo, quod absolute fieri potest. Certum est autem, ex privilegio, seu diuina dispensatione, posse Deum conferre effectum Baptismi, per signum sensibile, per Angelum factum, & fortasse Scotus nihil aliud voluit: requirit enim diuinum praecceptum, & ideo negat, Baptismum datum a malo Angelo censendum esse validum, nisi certa reuelatione constet de diuino praeccepto. Hae vero dispensatio, non solum habet locum in sacramento Baptismi, sed etiam in alijs: est enim eadem ratio, quia Deus non magis alligauit potentiam suam signo sensibili in alijs sacramentis, quam in Baptismo. Vnde refert Nicephorus libr. 11. histo. c. 20. Amphilochem quendam fuisse consecratum Episcopum per Angelum, eamque consecrationem ratam fuisse habitam ab alijs Episcopis, quibus credendum est, sufficientibus coniecturis constituisse, illum fuisse bonum Angelum.

Quidam ab Angelo consecratum Episcopum.

Atque ex his omnibus sequitur, animam a corpore separatam, non posse esse ministrum sacramentorum, non solum quia non potest propria verba formare, sed etiam quia reuera non est homo. Si autem post separationem a corpore, iterum ad illud rediret proprie informando & viuificando illud, non est dubium, quin suppositum illud, quantum est ex parte naturae, posset esse sufficiens minister sacramenti, si aliae conditiones necessariae concurrerent, quia esset vere homo. Quod maxime verum est, magisque indubitatum, si anima illa rediret ad corpus passibile, & mortale, quia non solum ille esset homo, sed etiam viator. Si autem loquamur de homine omnino existente extra viam in corpore & anima gloriosis potest nonnulla ratio dubitandi suboriri: quia Christus solis hominibus viatoribus videtur haec ministeria commississe, & huiusmodi potestatem contulisse, nam ad illos solos dixit, Baptizates eos, vel, Hoc facite, &c. Nec videtur sufficere, quod in huiusmodi homine maneat character Ordinis, quia cum character non sit potentia physica, sed solum signum, potuit dari ad deputandum hominem ad tale ministerium, pro statu viae, & non pro statu beatifico. Nihilominus D. Thomas sentit, hunc hominem esse sufficientem ministrum sacramenti, ut notauimus art. 7. ad 2. Et videtur haec sententia probabilior, quia in huiusmodi supposito concurrunt omnia necessaria ex parte ministri ad substantiam sacramenti. Nam potest proferre propria verba humana, atque ita applicare propriam formam & materiam cum debita intentione, & potest etiam habere characterem si necessarius sit. Quod vero non fit in statu viatoris, non videtur essentiale impedimentum, quia, licet Christus ad viatores homines sit locutus, quando eis dedit huiusmodi potestatem, quo modo eos tantum praesent

Qui videtur ad vitam, etiam in statu gloriae, an sacramenta possit ministrare.

tes habebat, & per eos reuera exercenda erant haec ministeria, tamen nihilominus institutio absoluta fuit, & potestas data est hominibus, nec appositae est illa conditio aut limitatio, scilicet, pro solo statu viae, & ideo in eis absolute manet, eamque exercere possent, si inter nos versari permitterentur.

Vltimo dicendum est, non omnes homines esse posse ministros quorumcunque sacramentorum, sed illos solos, qui iuxta Christi institutionem & variam sacramentorum rationem hanc potestatem acceperunt. Ratio huius assertionis constat, ex principio supra posito, & applicabitur ad singula sacramenta ex professo in proprijs eorum tractatibus seu disputationibus, & praesertim cum agemus de sacramento Ordinis, vbi contra haereticos ostendemus, non omnes homines posse esse sacerdotes aut habere aequalem potestatem periciendi res sacras. Itaque in omnibus sacramentis in primis necessarium est, vt homo ratione uti possit, quia alias non poterit habere debitam intentionem, & ideo nec infantes, neque amens, aut alij eiusmodi possunt esse sacramentorum ministri. Deinde, quod attinet ad necessitatem sacramenti, in Baptismo quilibet homo ratione vtens potest esse minister, in Matrimonio omnes fideles baptizari, qui possint inter se Matrimonium contrahere, in Eucharistia & Extrema vnctione quilibet simplex sacerdos, in Pœnitentia vero sacerdos iurisdictionem habens: in alijs duobus Episcopus, vel ex dispensatione sacerdos in sacramento Confirmationis & aliquibus Ordinibus. Quae omnia intelliguntur de potestate simpliciter necessaria, nam ius dandi non his omnibus competit, sed quibus ex officio incumbit, de his vero omnibus latius in sequentibus.

Qui ratio est, vt non potest, nisi a ratione minister esse possit.

SECTIO II.

Vtrum ad sacramentum conficiendum necessaria sit in ministro intentio faciendi sacramentum.

Nomine intentionis hoc loco solum intelligimus voluntatem faciendi sacramentum ex quocunque fine, vel ratione procedat, quia omnis alius finis extrinsecus est impertinens [vt nunc supponimus] ad sacramenti veritatem: solum ergo hoc obiectum, scilicet sacramentum periciendum, consideratur in praesenti tanquam finis, ad quem aliae actiones ordinantur, & ideo voluntas illius obiecti, vt periciendi vocatur intentio, de cuius necessitate praesens quaestio instituitur.

In qua est prima sententia, negans, requiri huiusmodi intentionem ad valorem sacramenti. Hanc facile amplectuntur haeretici omnes, qui sacramentis nihil tribuunt praeter externum symbolum, quatenus aptum est ad excitandam fidem, hoc enim facere possunt actiones, & verba sensibilia: etiam si absque huiusmodi intentione fiant, imo etiam, si non procedant a voluntate rationali, sed omnino casu, & indeliberate fiant. Omisso vero hoc haeretico fundamento, alia via nonnulli Catholici secuti sunt hanc sententiam, dicentes, ad periciendum sacramentum requiri quidem voluntatem faciendi illas actiones externas, quas Christus instituit, verbi gratia, lauandi & proferendi talia verba, & hanc dicunt esse intentionem faciendi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia, quam Concilia requirunt ad sacramenti veritatem, negant tamen praeter hanc voluntatem esse necessariam intentionem faciendi sacramentum, nam si minister velit debita verba proferre super debitam materiam, etiam si decipiendi, vel illudendi causa id faciat, erit validum sacramentum. Hanc sententiam probabilem iudicat Palud. ibidem quaest. 2. artic. 3. licet contrariam indicet veriore. Angelus in sum. verbo Baptismus s. n. 7. dicit, quod licet baptizans intendat non facere quod facit Ecclesia, si tamen in re facit, quia formam ter-

Intentio conficiendi sacramenti est necessaria ad sacramenti veritatem.



uat, nihilominus baptizat, dummodo baptizare intendat: scus vero (inquit) si intenderet solum lauare. Et pro hac sententia citat Innocent. in capite pri. de Baptismo. Hi vero duo auctores reuera non defendunt prædictam opinionem, quia dum distinguunt inter intentionem lauandi & baptizandi, scilicet indicant se sentire, esse necessariam aliquo modo intentionem faciendi sacramentum, & non sufficere intentionem faciendi actionem externam, quod verò aiunt, posse esse validum sacramentum etiam si minister intendat non facere, quod facit Ecclesia, intelligunt, quando ex ignorantia habet intentiones repugnantes, vnam baptizandi, & aliam discordandi ab intentione Ecclesie. Expresse tenet hanc sententiam Syluest. Baptif. 3. num. 12. qui existimat esse sententiam Diui Thomæ, vt supra dixi, & saltem negari non potest, quin in 4. dist. sex. quæst. 1. articulo 2. quæstiuncula 1. ad 2. in hac opinionem fuerit propensus, refert enim secundo loco opinionem asserentem, in Baptismo & alijs Sacramentis, quæ habent in forma actum exercitum non requiri mentale intentionem, & quamuis non expresse, illam tamen approbare videtur, in hac vero 3. parte, multo aliter locutus est, vt explicauimus.

Potest autem in huius sententiæ fauorem afferri historia illa vulgaris de Athanasio, qui cum esset puer, quosdam alios pueros per iocum baptizauit, & tamen eum Baptifmum ratum habuit Alexander Patriarcha Alexandrinus, vt referunt Rufinus libro prim. historiar. capite 14. & Nicepho. libro 8. capite 44. & Sozomen. libro 2. capite 16. & Gratian. in cap. Spiritus sanctus, §. Ecce 1. quæstione 1. Nec dissimilis est historia, quam refert Nicepho. libro 3. hist. capite vltimo de quodam puero Iudæo per similem ludum ab alijs pueris baptizato, qui Baptifmus in Ecclesia Constantinopolitana approbatus est, & ideo non fuit iteratus, sed solum additæ ceremoniæ, quæ defuerunt: Ergo signum est fuisse iudicium à prædictis Patribus, ad veritatem Baptifmi nihil aliud esse necessarium, præter externam ablutio-nem, & formam, de quibus in prædictis casibus constare potuit, nam de interna intentione non solum constare non potuit, verum etiam neque satis probabili ratione præsumi, quod tamen maxime necessarium erat, si existimaretur talis intentio necessaria, præsertim in re tam graui, & in sacramento ad salutem necessario.

Secundo augeri potest difficultas, Augustino, libro 7. de Baptifmo capite 53. & habetur in capite. Solet etiam quæri, de consecratio. dist. 4. Vbi in primis ait, eum, qui baptizatur absque simulatione baptizati, seruata Ecclesie forma, manere baptizatum, in quibus verbis significat, simulationem baptizantis non esse contrariam veritati sacramenti, tum in vniuersali locutione, tum maxime in speciali exceptione simulationis baptizati: nam exceptio (vt dicitur) firmat regulam. Rursus vero inferius expressius quærens, an censendus sit esse Baptifmus, quando minister omnia per iocum & irrisionem facit, non audeat quidquam definire, sed expectandam putat diuinam reuelationem.

Tertio argumento à ratione, certum enim est, potuisse Christum ita sacramenta instituire, vt ad illorum valorem & efficaciam non sit necessaria prædicta intentio, sed solum signum externum, vel ad summum, voluntas efficiendi actionem externam & proferendi verba. Nihil enim afferri potest cur hoc absolute repugnet, aut Christo fuerit impossibile, sed hic modus institutionis est multis rationibus conuenientior: ergo cedendum est, hanc fuisse Christi voluntatem. Minor declaratur varijs modis. Primo ex communi ratione ministrorum, nam quando aliquis transigit negotium, seu obligationem, aut contractum per ministrum, non requiritur intentio ministri ad valorem contractus, sed sola externa a-

Franc. Suarez Tom. 3.

tionis executio, vt si Petrus per famulum rem aliquam dono mittat ad Paulum non oportet vt famulus habeat intentionem transferendi dominium, sed solum vt rem exterius exhibeat & tradat nomine Petri, & quod Paulus acceptet, sed hoc eodem modo comparantur ad Christum ministri sacramentorum: ergo. Secundo, ex generali ratione signi sensibilis ex impositione significantis, nam hoc ipso, quod vox vel actio externa ad significandum aliquid imponitur, si exterius exhibeatur seu proferatur, erit verum signum sensibile, quacunque intentione fiat, sed sacramentum est signum sensibile impositum à Christo ad significandum in tali actione, & talibus verbis: ergo talis actio & verba exterius exhibita habent illam significationem ex impositione Christi, quidquid minister intendat, imo si etiam ipse nolit. Nam, dum exhibet exterius talem ceremoniam, velit nolit, facit signum à Christo institutum: facit ergo sacramentum: sicut qui exhibet seu dispensat hostiam consecratam, velit, nolit, conferre sacramentum, quia ex vi consecrationis, habet inseparabilem significationem. Ita ergo, qui exhibet talem ceremoniam extremam, velit, nolit, dabit sacramentum, quia illa ceremonia habet inseparabilem significationem. Et confirmatur, quia si minister velit dare sacramentum, non tamen effectum, nihilominus, si suscipiens sit dispositus, recipiet effectum: quoniam ex Christi institutione & promissione effectus infallibiliter est coniunctus cum susceptione sacramenti, quantum est ex parte illius: Et ideo non potest minister illum impedire, sed simili modo sacramentalis significatio à Christo est imposita tali ceremoniæ exteriori: ergo nihil aliud necessarium est, vt illa ceremonia significet, præter quam, quod exterius fiat: ergo, si minister hoc velit & faciat, necessario faciet sacramentum, nec potest sua voluntate seu intentione contraria impedimentum ponere Christi institutioni. Secundo confirmatur hæc coniectura & ratio, quia reuera minister, nihil aliud facit, nisi externam actionem, seu prolationem verborum: formalem enim significationem, non potest efficere, hæc enim nihil reale addit verbis, aut actibus externis, sed solum denominationem resultantem ex Christi institutione: ergo, vt sacramentum fiat in ratione signi, non fuit necessarium exigere à ministro aliam intentionem seu voluntatem, præterquam faciendi illud opus externum: quia natura sacramenti nihil aliud postulat, neque aliud est necessarium ad totum illud sensibile signum applicandum. Tandem explicatur hoc exemplo: nam si duo baptizati velint contrahere matrimonium in facie Ecclesie, & expresse nolint facere sacramentum, nihilominus efficiunt: quia prior voluntas est efficax ad faciendum contractum, & non est in eorum potestate separare rationem sacramenti à tali contractu inter baptizatos inito: ergo simili ratione in cæteris non requiritur talis intentio. Vnde potest confici generalis confirmatio: nam interdum habet minister contrarias intentiones ex ignorantia, vt in prædicto casu: aut si velit dare Baptifmum, non vero sanctificare paruulum: quid ergo tunc fiet? Videtur etenim res esse perplexa, si requiritur intentio: quia non est maior ratio, cur vna intentio operetur, quam alia: ergo ad vitandam huiusmodi perplexitatem, melius est, negare intentionis necessitatem. Tertio, ad certitudinem sacramentorum, & ad pacandos animos suscipientium illa, videtur hic modus institutionis multo magis conueniens. Decuit enim maxime, vt de sacramentorum veritate constaret fidelibus, quoad fieri posset, & Ecclesie: vt recte docuit D. Thom. in 4. dist. 5. q. 2. art. 1. quæstiuncula 1. vt ex hoc principio concludat bonitatem ministri non esse ad substantiam sacramenti necessariam: atque eodem ad eandem rem vtitur sæpe Augustin. vt videlicet libr. 1. contra Iulian. Petib. cap. 3. & libr. 2. cap. 3. & 5. & alijs locis in tractan-

tractandis : si autem valor externi sacramenti penderet ex intentione interna ministri, non minus esset incerta veritas sacramenti, & sanctificatio eius, quam si penderet ex sanctitate & fide ministri : quia non magis potest constare Ecclesie de intentione, quam de fide eius. Et confirmatur : nam potissimum redderentur incerta sacramenta ab hæreticis collata, seruata Ecclesiastica forma : quia merito dubitare possumus de vera intentione eius, qui veram fidem non habet, præsertim, cum dicat August. Psalm. 31, quod intentionem rectam non facit, nisi recta fides. Confirmatur hæc coniectura : quia vt Chrysostr. ait Homil. 85. in Ioan. prope finem. Iustum non est propter alios, (id est, ministri vel sacerdotis) malitiam ad salutem nostram accedentis offendi : ergo neque etiam videretur iustum, vt is, qui bona fide, ac mente accedit, & exterius recipit totum id, quod videtur necessarium ad sacramentum, propter solam malitiam ministri volentis illum decipere & illudere, tantum patiatur detrimentum, quantum est priuari sacramento & fructu eius : & interdum fortasse propter solam eam causam damnari.

*Intenzio
faciendi
sacramen-
tum est o-
mnino ne-
cessaria.*

Dicendum nihilominus est, ad faciendum sacramentum non sufficere externam effectiorem ceremonie sensibiles, nec voluntatem efficiendi illam actionem, quali materialem, sed requiri intentionem faciendi sacramentum, vel sub hoc conceptu vel sub aliqua ratione confusa & communi, seu æquivalenti, scilicet intendendo facere, quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt, vel aliquid simile : qui liber enim ex his modis intentionis absque controverfia sufficit, & reperiri potest in hæretico, vel aliquo infideli, & in homine ignorante. Atque hoc modo explicata conclusio est communis Theologorum in 4. dist. 6. Bonavent. art. 3. quæst. 1. Richard. art. 1. q. 2. clarus & melius Scotus q. 5. Gabriel. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. & 4. Duran. quæst. 2. Maior. dist. 1. quæst. 1. §. penul. circa finem. Hadria. quæst. 3. de Baptismo, Soto dist. 1. quæst. 5. art. 3. Victoria. in sum. de sacramentis in materia de Baptismo, num. 31. Alex. Alenf. 4. part. quæst. 13. in membr. 1. per totum, præsertim artic. 4. Hugo de S. Vict. lib. 2. de sacrament. par. 6. cap. 13. de D. Thomæ sententia satis est in commentarijs dictum, eademque aperte colligitur ex his, quæ superius docuit artic. 3. Est autem in nonnullis ex his authoribus advertendum, non solum videri requirere intentionem faciendi sacramentum, sed etiam conferendie effectum, quas intentiones expressius distinguens Scotus, quam alij, negat, vtramque esse necessariam, sed solum priorem, quod etiam nos supra diximus in commentario art. 3. & assignauimus modum, quo explicandi sunt authores, qui loquuntur de intentione effectus sacramenti : non enim est necessarium illum formaliter & in se intendere, sed solum in causa, seu in ipso sacramento.

*Fundamē-
talis præ-
cipuum
fundamē-
tum.*

Fundamentum huius sententiæ sic explicatæ sumendum est ex Christi institutione, quoniam ex sola re natura certum est, non posse probari hanc intentionem esse necessariam, neque esse impossibile alium institutionis modum : hoc enim satis coniungunt rationes factæ in fauorem primæ sententiæ. Quod autem fuerit hæc Christi voluntas & institutio, quamuis in Scriptura sacra expresse non doceatur, potest tamen colligi ex modo & verbis, quibus Christus sacramenta instituit. Quod ita declaratur, quia duobus modis potuerunt signa sacramentalia imponi ad significandum : primo, imponendo res ipsas, aut verba, aut actiones externas, quacunque ratione fiant, seu ponantur in rerum natura : quo sensu procedunt multa ex argumētis prioris sententiæ. Secundo modo potest intelligi hæc institutio, vt per se primo dirigatur ad ministros, & illis detur potestas efficiendi sacramenta. Hoc ergo supposito, argumentor in hunc modum. Sacramentorum institutio facta est hoc posteriori modo, sci-

licet, dando ministris potestatem efficiendi & dispensandi sacramenta : ergo ex vi illius requiritur intentio ministri ad conchendum sacramentum. Antecedens patet ex illis verbis institutionis sacramenti Penitentiae, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, Ioan. 20. vbi potestatem dat ministris, & vltim eius ponit in eorum iudicio & arbitrio. Idem est de illis, Hoc facite in meam commemorationem, Luc. 22. nam illis significatur, actionem illam per deceptionem & simulationem factam, non habere rationem sacrificij, vel sacramenti, sed necessarium esse, vt aliqua ratione fiat ad Christi imitationem, seu representationem, vel prout ab ipso fuit instituta. Idem fere est de illis verbis, Baptizantes eos, &c. Nam licet ibi non fuerit institutum sacramentum, sed datum præceptum, tamen in ipsis verbis satis significatur, eam potestatem datam esse ministris & eorum arbitrio commissam. Idem colligi potest ex forma sacramenti Ordinis, quæ datur per modum imperij, Accipe potestatem, &c. & ex forma Extreme vntionis, quæ fit per modum deprecationis. Vnde D. Iacobus c. 5. ad ministrum loquitur, dicens : vt super infirmum oret. Sic igitur in omnibus sacramentis ita est facta institutio, vt procedant ex potestate data ministris tanquam propria actiones eorum, & ideo dicuntur remittere peccata, conuertere panem in corpus Christi. Prima vero consequentia probatur, quia hæc potestas data est homini, vt homo est : ergo, vt vtatur illa humano modo operando per actiones humanas : ergo talis potestas subijcitur voluntati humanæ : ergo necessaria est propria intentio & voluntas ipsius hominis, vt per hanc potestatem generetur operari : ergo non satis est velle efficere, quasi materialiter sensibiles illam actionem : quia illa ex se nõ est actio huius potestatis, nec per illam voluntatem applicatur hæc potestas ad operandum : est ergo necessaria prædicta intentio faciendi sacramentum, vt homo operetur, tanquam minister Christi, habens ab illo speciale potestatem. Quod confirmatur & declaratur ex verbis illis Pauli primæ ad Cor. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Dispensator enim proprie dicitur ille, cuius potestati & arbitrio committitur aliquarum rerum distributio : quam necesse est fieri modo humano, atque eodem cum voluntate dispensandi res tali potestati committas : ergo ad hunc modum intelligenda est dispensatio sacramentorum commissa Christi ministris. Quocirca duobus modis intelligi potest negotium aliquo fieri per nuncium, vel ministrum, in quorum distinctione & intelligentia consistit vis huius fundamenti, & solutio contrarij. Primus est, quando legatus seu minister, tantum est nuncius referens alterius voluntatem. Secundus est, quando potestas datur huiusmodi ministro, vt i. Lantano, ipse vice alterius, suo tamen iudicio & arbitrio, negotium tractet & transigat, seu perficiat : quando enim fit priori modo, non requiritur voluntas seu intentio internuncij, sed solum quasi materialiter concurrat, referens alterius voluntatem. At vero, quando fit posteriori modo, tunc voluntas ministri necessaria est : vt si rex committat iudici cognitionem, & iudicium alicuius causæ necesse est vt talis iudex modo humano & per propriam voluntatem vtatur tali potestate : ministri ergo sacramentorum, non sunt prioris generis, sed posterioris, vt ex institutione declaratum est. Propter quod dixit Concil. Trid. loco statim citando, absolutionem sacerdotis non esse nudum ministerium, sed actum iudiciale, ergo necessaria est in illo prædicta intentio. Quod tandem potest alio exemplo declarari. Nam si Deus daret, homini potestatem suscitandi mortuum suis verbis aut imperio, ex vi talis concessionis censeretur positum in voluntate talis hominis, vt tali potestate, quia hoc est de ratione potestatis humanæ vt sic : & ideo non posset actio procedere a tali potestate, nisi aliquo modo dirigetur

*Minister
sacramen-
torum non
generatur
referens al-
terius vo-
luntatem
sed vt potest
transigat*

regretur in finem seu effectum eius per intentionem seu voluntatem hominis, quia hoc est intrinsece de ratione humanae potestatis.

Secundo principaliter probatur hæc veritas, quia hoc modo est intellecta Christi institutio ab Ecclesia: propter quod est eius autoritate definita prædicta assertio in Conc. Flor. in decreto Eugenij, & in Trid. sess. 7. can. 11. Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt, non requiri intentionem, saltem faciendi, quod facit Ecclesia, Anathema sit: non enim hæc definitio explicari de intentione imitandi exterius, quasi materialiter, ritum quem servat Ecclesia: primo, quia hoc sensu nullius momenti esset illa definitio: quia loquendo moraliter ac humano modo, non potest aliquid facere exterius ceremoniam, quam Ecclesia facit, nisi volendo illam facere: ergo aliquid vltra hoc intendit Concilium. Secundo, quia de hoc nulla fuerat controversia: Concilium autem intendit damnare errorem dicentium sacramentum eiusdem valoris esse, siue serio siue ioco & simulate fiat, vt statim ex alio loco patebit. Tertio, quia Concilia vtuntur illis verbis eo modo, quo sapientes & docti in hac materia vti solent: omnes autem Theologi, cum ita loquuntur, non sumunt illa verba in eo materiali sensu: quia reuera in illo non significant requiri aliquam intentionem, sed solum requiri externum ritum, quem Ecclesia seruat. Et reuera, si formalis intentio, de qua agimus, faciendi, quod facit Ecclesia, seu faciendi sacramentum, vel alia similis non esset necessaria, illa etiam voluntas faciendi externam ceremoniam non esset necessaria, nisi quatenus ad actionem externam concurrere potest. Quare, si actio illa exterior fieri posset sine tali voluntate saltem deliberata & humana, sed casu: etiam ab homine ebrio, aut a mente perfriceretur sacramentum: quia non est maior ratio de vna, quam de alia, vt patebit facile applicando argumenta prioris sententiae. Concilia ergo, quæ intentionem requirunt faciendi, quod facit Ecclesia, sine dubio loquuntur de intentione sacramentali (vt sic loquamur.) Quod in hunc modum potest præterea declarari, nam quod vere ac proprie facit Ecclesia, non est sola ceremonia exterior, quasi materialiter sumpta: illam enim possent facere etiam pagani & demones: quod ergo est proprium Ecclesiae est facere illam vt sacramentum est: intentio ergo faciendi, quod facit Ecclesia, est sacramentalis. Denique Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. agens in particulari de ministro penitentiae, docet, si à sacerdote desit animus serio agendi, & vere absoluedi, nihil fieri, idque definit in can. 9. Quæ definitio satis explicat, vniuersalem definitionem prius datam: propter quam existimo, contrariam sententiam non posse iam tuto defendi nec sine errore.

Tertio possumus addere congruentias huius institutionis. Prima, quia cum sacramentum sit ceremonia sacra, pertinet in primis ad eius reuerentiam, vt non fiat ioco, sed ex animo: nec casu, sed ex intentione. Secunda, quia actiones, quibus fiunt sacramenta, ex se indifferentes sunt, vt hoc vel illo modo fiant, & ad significandum hoc vel illud: atque adeo, vt sint sacra vel profana: ergo oportet, vt definiantur ad esse sacramentale per intentionem ministri. Dices, determinari possunt per intentionem suscipientis, aut per intentionem Ecclesiae, vel Christi. Respondetur: In primis suscipiens non semper est capax propriae intentionis. Deinde actio, cum sit ab agente, per eius intentionem determinari debet. Item potest retorqueri argumentum: nam si ex parte recipientis requiritur intentio, quando illam habere potest, cur non multo magis ex parte dantis? Rursus Ecclesia non habet per se propriam intentionem: sed per ministrum vult applicare sacramenta, iuxta Christi institutionem: Christus vero non vult fieri sacramentum sine intentione ministri: quia expediens cen-

Franc. Suarez Tom. 3.

fuit, hanc potestatem suis ministris committere, vt modo humano illa vteretur, qui est nobilior modus operandi, magisque ad dignitatem tanti ministerij, ipsorumque ministrorum spectans. Quæ potest esse noua congruentia, seu confirmatio. Tandem argumentum illud, quod supra, explicando Concilia, insinuabamus, non est contemnendum: nam si prædicta intentio non esset necessaria ad sacramentum, nulla prorsus esset necessaria. Ex quo ab inconuenienti argumentatur Hugo Victor. supra, contra priorem sententiam: nam ex ea sequitur, si mater ablueret corpus infantis solo animo & cogitatione mundandi corpus & eadem mente bene imprecaretur illi, inuocando Trinitatem, nihil omnino de sacramento cogitans, in eo casu perfici sacramentum. Ac simili modo, si sacerdos habens præsentem panem, nihil cogitans de sacramento, proferret verba formæ, referens fortasse factum Christi, conficeret sacramentum: vtrumque autem & perse statim absurdissimum apparet, & prædictis definitionibus Conciliorum aperte repugnat. Sequela vero patet à paritate rationis: & quia argumenta prioris sententiae, vel nihil, vel hoc etiam concludunt. Quia, si externum signum ita est impositum ad sacramentaliter significandum, vt hoc ipso, quod in re ipsa existit verbum, vel actio exterior, necessario habeat annexam prædictam significationem, & esse sacramentale, tam habebit illud esse sacramenti, si casu fiat, quæ si ex voluntate deliberata absque intentione sacramenti. Quæ argumentandi ratio plurimum valet, saltem ad enervanda prioris sententiae argumenta, quibus nihilominus sigillatim respondendum est.

Ad primum fundamentum respondetur ex Hugone Victor. supra, dupliciter posse aliquid fieri per iocum: primo, animo illud vere efficiendi, quamuis extrinsecus finis sit iocus, aut animi oblectatio: & talis intentio iocosa non est contra substantiam sacramenti: quia non destruit obiectum intrinsecum, sed addit finem extrinsecum: & ita non tollit veritatem, sed honestatem actionis, quæ non est de substantia sacramenti. Secundo potest intentio ita esse iocosa, vt sit ficta & simulata: & hæc est contra veritatem sacramenti. In prædictis ergo factis, quæ in citatis historijs narrantur, credendum est, sufficientibus signis & coniecturis reperit esse, intentionem fuisse prioris modi: & in facto Athanasij signum esse potest, quod solum catechumenos baptizabat, vt Durandus supra notat. Ad secundum respondetur, ad priorem partem, Augustinum ibi simpliciter loqui de intentione necessaria ex parte recipientis: non tamen propterea excludere intentionem dantis: quia neque ibi confert vnam cum alia, neque ponit exceptionem ad contrariam regulam affirmandam. Ad alteram vero partem, Durandus supra exponit Augustinum, quod intellexerit, expectandam esse reuelationem, quando dubium est de intentione iocosa, qualis fuerit, an scilicet omnino ficta, vel vera. Sed certe neq; in eo dubio oportet ad reuelationem recurrere: quia constat in eo casu sacramentum esse dubium, atque ideo iterandum esse, vel absolute, si est iterabile, vel sub conditione, si iterabile non sit. Fortasse igitur Augustinus tunc fuit dubius, quia nondum erat res tam exacte declarata: multa enim alia ibi reliquit ambigua, quæ iam facilius expediri possunt ex his, quæ discursu temporum Ecclesia sunt iam declarata.

Ad tertium: negatur illum modum institutionis ibi propositum fuisse conuenientiore. Ad primam vero probationem de munere & officio ministri, iam responsum est, probando nostram sententiam: vbi distinximus varios ministrorum modos, & explicuimus, quales existimandi sint ministri sacramentorum. Ad secundam etiam probationem data fere est responsio, nimirum, externas actiones sacramentorum, non vtrunque esse impositas ad significandum, sed vt sunt actiones humanae ipsorum mi-

nistrorum : & procedunt aliquo modo ex potestate illis data ad sacramenta conchienda. Quod potest exemplo declarari: nam si Diaconus, verbi gratia, audita alterius confessione proferat verba absolutionis, si respicias id, quod exterius sit, eiusdem rationis esse videtur cum simili actione facta à sacerdote : tamen nullam habet sacramentalem significationem : quia non procedit à persona habente potestatem: eodem igitur modo, si sacerdos proferat verba sine debita intentione, non habent sacramentalem significationem : quia non procedunt à sacerdote, vt habente talem potestatem, & per illum operante. Quocirca non est similis ratio de sacramento, & voce ad significandum imposita : quia vox imponitur secundum se, vt est sonus quidam articulatus : vnde, etiam si à phittaco proferatur, aliquo modo significat: sacramentale autem verbum non est hoc modo impositum, vt declaratum est. Neque etiam est simile aliud exemplum, quod ibi adducitur, de Eucharistia consecrata : quia illud est sacramentum permanens in facto esse : & ideo, cum dispensatur à ministro, non est, quod ab intentione eius pendeat : quia, nec fit, nec conseruatur ab illo : vnde si contingat casu sumi absque vlla voluntate sumendi sacramentum, nihilominus rei ipsa verum sacramentum sumitur, quamuis fortasse tunc non habeat effectum : quia hic non datur absque aliqua intentione, vel voluntate suscipientis. Ad primam confirmationem de intentione effectus respondetur simpliciter negando consequentiam: quia sacramentum ita est à Christo institutum, vt postquam est, & applicatur, sit veluti causa naturaliter agens, vbi non inuenit impedimentum: & ideo si minister habet intentionem dandi sacramentum, illud habebit effectum suum, etiam si minister nolit : quia hoc non est positum in voluntate eius. Secus vero est de ipso sacramento : nam ratio sacramenti non est necessario connexa cum exteriori actione seu caremonia, sed pendet ex ministro, cui data est potestas faciendi vel non faciendi sacramentum. Hic vero oriebatur dubium, quia ille videtur habere intentiones quasi contrarias, de quo statim dicam in fine huius sectionis, atque idem est de casu Matrimonij ibi proposito. Ad secundam confirmationem huius probationis respondetur : ministrum sacramenti physice proferre verba, aut efficere alias actiones externas, quantum ad physicam entitatem earum : moraliter vero efficere illas actiones, prout humanæ actiones sunt. Atq; hoc modo est causa illarum, vt sunt actiones sacræ & sacramentales, & ad hoc est necessaria intentio: nam sub hac ratione moralis assumuntur ad significationem sacramentalem. Ad tertiam probationem respondetur, non esse inconueniens, sacramenta ex hoc capite habere aliquam incertitudinem metaphysicam, (vt sic dicam) satis est enim, quod habeant moralem & humanam certitudinem: qualis esse potest in actione, quæ per homines & humano modo exercenda est: sicut negari non potest, quin multorum sacramentorum veritas pendeat ex eo, quod minister vere sit baptizatus, aut ordinatus, atque ex interno charactere, vel ex potestate iurisdictionis, vt in sacramento Pœnitentiæ: ex quibus principijs potest oriri aliqua incertitudo de veritate vel effectu sacramenti, quod nullum est inconueniens: quia res humanæ habent hanc incertitudinem annexam : voluit autem Christus, homines in huiusmodi effectibus & actibus gubernari & operari, vt homines seu humano modo: ad pacandas autem conscientias sufficit certitudo moralis. Non est tamen simile exemplum, quod in argumento illo adducitur, de interna bonitate seu sanctitate ministri: quia hæc est multo magis dubia & incerta: vnde si esset necessaria, non solum auferret metaphysicam certitudinem, sed etiam moralem & humanam. Eo vel maxime, quod huiusmodi bonitas per se non est necessaria ad operandum humano modo, neque ad

In sacra-
mentu qua
certitudo
sit satis.

applicandum potestatem acceptam ad operandum : & ideo non est, cur requiratur ad veritatem sacramenti: intentio vero sacramenti, est per se necessaria ad humanam operationem & applicationem ministerialis potestatis: & vix potest, moraliter loquendo deesse: & ideo non est similis ratio. Et ex hoc patet solutio ad primam confirmationem de sacramento dato ab hæretico: non est enim inconueniens, quod tale sacramentum sit aliquo modo suspectum ex conditione talis personæ : & ideo non debet sacramentum ab hæretico suscipi, quoad fieri possit. Nihilominus non est simpliciter dubium tale sacramentum, si nullus alius defectus intercedat, vel timeatur, præter defectum intentionis: quia hæresis non excludit omnino hanc intentionem sacramenti: potest enim hæreticus intendere id facere, quod Christus instituit, vt infra latius dicemus. Quod vero August. ait, intentionem rectam non facere nisi rectam fidem: intelligendum est de rectitudine honestatis meritoria, & quæ ad vitam æternam conducatur.

Secunda confirmatione moti videntur auctores, qui dixerunt, pie credi posse in eo casu, quando iniquus minister decipit hominem innocentem, sicte dando sacramentum sine intentione debita, tunc Deum supplere effectum sacramenti. Hæc vero pietas, vt dixi in commentario art. 8. non est secundum scientiam: quia non est consentanea ordinariæ legi à Christo lata: hæc autem, quæ supernaturalia sunt, sine sufficienti fundamento non sunt asserenda, vt ibi late probauit. Quare dicendum est, in eo casu fieri posse, vt aliquis damnetur propter malitiam ministri: quod non potest refundi in Deum, quia ipse sufficienter prouidit hominibus, modo tamen illis accommodato: quia indicatur expeditis, homines saluare per homines & remedia salutis in eorum manibus constituere, eorumque arbitrio committere. Quamuis ergo iustum non sit, hominem priuari spirituali remedio absque culpa, tamen hæc iniustitia non est Dei, sed iniqui ministri: & is, qui eam patitur, proprie ac per se non propter alterius culpam damnatur: sed propter proprium peccatum originale, aut mortale: alter vero est, veluti causa per accidens remoneos salutis remedium.

Superest, vt respondeamus ad casum illum, in quo videtur esse perplexitas, propter intentiones ministri inter se contrarias, vt v. g. si intendat facere quod fecit Christus, non vero quod intendit Ecclesia Romana. In qua re primum omnium obseruandum est, an tanta sit contrarietas voluntatum, vt omnino destruat intentio faciendi sacramentum, tam in particulari, quam in generali seu confusa: nam si talis sit contrarietas, non fiet sacramentum: quia tollitur intentio necessaria. Exemplum esse potest, si minister ita intendat facere sacramentum, quale ipse existimat ex falsa & erronea opinione vt nullo modo velit facere illud, quale Ecclesia intendit, etiam si contingat ipsum decipi, & Ecclesiæ intentionem esse conformem institutioni Christi, vt si hæreticus Caluinista, hoc modo velit efficere talem Eucharistiam, quæ sit signum corporis Christi, non quæ sit verum corpus Christi. Hic autem modus intentionis vix haberi potest moraliter loquendo: requirit enim nimiam quandam reflexionem actuum ex odio, aut maxima quadam pertinacia profectam. Deinde obseruandum est, an illa contrarietas impediatur, ne aliquid applicetur, quod sit de substantia sacramenti: tunc enim sacramentum esset nullum, non tam ex defectu intentionis, quam ex defectu materiæ vel formæ, vt si quis intendat dare sacramentum Baptismi, lauando puerum aqua rosacea, vel aliquid huiusmodi. At vero, si neutrum horum intercedat, illa contrarietas voluntatum ex ignorantia concepta, non impedit sacramentum: quia nihil tollit ex tribus illis rebus, quæ necessariae sunt in omni sacramento: adest enim materia & forma, vt supponimus: adest

Sacramen-
tum ab
hæretico
danti, quam
non pa-
gat.

Si quis in-
tendat fa-
cere, quod
fecit Chris-
tus, non
quod in-
tendat ec-
clesia, vt
primum in-
tendat sa-
cramentum

etiam

SECTIO III.

Qualis intentio sufficiat ad efficiendum sacramentum.

Multa sub hoc titulo comprehendi possunt, quia multiplex potest esse intentionum paritio: alia enim est actualis, alia habitualis, alia virtualis, alia interpretativa, seu remota, & in causa tantum. Rursus, quaedam intentio potest esse conditionata, alia absoluta. Præterea quaedam esse potest vera accerta, seu ex vera cognitione orta, alia falsa, seu ex errore. Denique, interdum esse potest honesta, non nunquam vero turpis: de quibus omnibus sigillatim dicendum est.

Intentio in causa tantum non sufficit.

Dico primo, intentio remota seu interpretativa & in causa, qualis esse censetur in voluntario tantum indirecto, non sufficit ad efficiendum sacramentum. Explicatur, si sacerdos tem, qui inebriari solet, & eo tempore, quo ebrius est, verba consecrationis super panem dicere, certum est, licet huiusmodi homo voluntarie inebrietur, & ibi in causa indirecte velit illum effectum, nihilominus eam voluntatem non esse sufficientem ad conficiendum sacramentum, quia licet ille indirecte velit externam prolationem verborum circa panem, tamen sacramentum ut sic, nec indirecte voluit, quia hoc non continetur in illa causa, sed solum illud prius. Addivero ulterius potest prædicto casui, quod ille homo prævideat non solum se prolaturum externa verba, sed etiam habiturum voluntatem conficiendi sacramentum. Sed neque hoc satis esset, quia illa voluntas, quam haberet tempore ebrietatis, non esset humana, nec rationalis, & ideo per se non esset sufficiens ad conficiendum sacramentum: voluntas autem indirecta, quæ præcessit, minime etiam sufficit, quia reuera nullo modo imperat posteriorem actionem, imo neque est propria voluntas talis obiecti, sed secundum moralem rationem imputatur, ac si esset voluntas eius, quando homo prævidit talem effectum, & potuit ac debebat illum vitare. Ut hoc vero à fortiori constet, addo ulterius, etiam si huiusmodi homo habuisset prius intentionem proferendi verba, & per illa conficiendi tempore ebrietatis, nihilominus postea nihil efficere: quia illa non est factis, ut actio, quæ postea fit, sit proprie humana, nam exercetur ab illo, qui ratione uti non potest. Vnde, licet prior intentio comparatur ad illud actum, qui postea fit in ebrietate, ut actus interior ad obiectum suum, non tamen comparatur, ut principium seu causa moralis ad suum effectum, actio autem sacramenti debet procedere ab intentione ministrum, ut à principio operante. Et in hoc differt illa actio ab illa, quæ fit ab homine sui compote, tamen directo, nam cum huiusmodi homo ratione utatur, actio eius simpliciter est humana, & libera, & procedit aliquo modo à priori intentione: at vero actio ebrii, licet in ordine ad culpam denominari possit, voluntaria & libera à præcedenti voluntate, magis tamen ut effectus quidam physicus, quam ut actio humana, vnde ut est actio hominis tunc reuera non est libera, nec moraliter procedit à priori intentione, sed solum remote & valde per accidens, per applicationem cuiusdam causæ, à qua postea proficitur illa actio modo quodam naturali seu irrationali, qui non est sufficiens, nec accommodatus ad ministerium sacramentorum. Sed contra, nam Augustinus tractatu 5. in Iohannem dicit: Baptismum ab ebrioso datum, esse validum. Confirmatur, nam Baptismus, quem ebrius, aut amens suscipit, est validus, si prius ille habuit intentionem suscipiendi Baptismum: ergo similis intentio sufficit in ministrante. Ad August. respondetur, cum non loqui de ebrioso, sed de ebrioso, qui in hoc differunt, quod ebrius dicitur, ille, qui actu ita est affectus, ebrius autem vocatur qui inebriari solet, etiam si actu ebrius non

Intentio in causa tantum non sufficit.

Quare huiusmodi diffinitio non sufficit ad efficiendum sacramentum.

Obiectio.

Solutio.

An qui daret sacramentum, non tamen effectum, sit sacramenti, efficiat sacramentum.

An baptizatus contra hunc matrimonium, non faciat sacramentum facinus.

Quare huiusmodi diffinitio non sufficit ad efficiendum sacramentum.

Obiectio.

Solutio.



fit. Ita ergo dicit Augustinus esse validum Baptismum ab ebriolo, sicut dicit validum esse, datum ab homicida, vel alio iniquo ministro. Ad confirmationem negatur consequentia, quia suscipiens non est principium efficiens sacramentum, sed subiectum tantum, & ideo in illo non requiritur intentio, quæ fit principium humanæ actionis, sed quæ fit tantum dispositio, vel subiectum fit capax, seu non repugnans sacramento: at vero in ministro requiritur intentio, ut principium, & veluti forma exterioris actionis quæ humano modo fieri debet.

Quæ intentio sit sufficiens ad sacramentum.

Dico secundo, intentio mere habitualis, non sufficit ad sacramentum conficiendum, nec requiritur actualis, quamvis illa perfectissima sit, sed sufficere potest virtualis. Hæc est omnium sententia, & mens D. Thomæ hic, ut Caietanus & omnes Theomistæ explicant, & sequuntur. Idem reliqui doctores in 4. dist. 6. Scot. quæst. 6. Gab. quæst. 1. ar. 3. dub. 1. Et probatur explicando prius breuiter, cuiusmodi sint hæc intentiones, & quomodo actualis satis est clara (consistit enim in hoc, quod actu eliciatur voluntas faciendi sacramentum, eo tempore, quo exterius fit) habitualis dicitur esse, quando præcessit voluntas faciendi sacramentum, & postea nullo modo influit in effectum, seu in actionem externam, qui neque villo modo est postea in memoria, seu cogitatione hominis, nec per se aut per aliquem effectum, seu virtutem relictam, est causa talis actionis. Virtualis ergo dicitur, quando præcessit actualis intentio, quæ iam in se non existit, quando fit sacramentum, manet tamen aliquid ab illa relictum, per quod censetur virtute mouere ad actionem sacramenti. Hoc posito, facile est omnes assertionis partes persuadere. Primam quidem, quia illa intentio habitualis nullo modo est causa actionis, sed eo modo quo censetur habitu manere tantum concomitanter se habet. Vnde sicut ratione illius non potest dici actio bona, aut mala, ita nec humana: ergo illa est insufficientis ad effectum sacramenti. Dices: si quis hodie habeat intentionem offerendi crastino die sacrificium pro Petro, quamvis postea maneat tantum in habitu, ita ut, cum postea fit sacrificium, nullo modo influat in illud, nec per se, nec per aliquam virtutem, nihilominus ex vi prioris intentionis, manet illud sacrificium Petro applicatum: ergo intentio mere habitualis aliquid postea operatur: ergo eadem ratione poterit esse sufficiens ad efficiendum sacramentum. Responderetur distinguendo antecedens: dupliciter enim potest intelligi illa voluntas offerendi sacrificium pro alia. Primo ut sit voluntas quasi de presenti absoluta, & ex tunc applicans fructum sacrificij crastino die offerendi, & hoc modo concedo, illam voluntatem esse sufficientem, dum modo non retractetur, ut sacrificium postea factum, sit fructuosum alteri, etiam si illa voluntas postea maneat tantum in habitu. Alio modo potest haberi illa voluntas, quasi de futuro, ita ut nunc tantum sit propositum applicandi postea sacrificium tali personæ, & hæc voluntas non sufficit si postea maneat tantum in habitu & non accedat alia voluntas, qua offeratur & applicetur sacrificium tali personæ. Et ratio est clara, quia illa altera voluntas non fuit applicatio sacrificij, sed propositum applicandi: ergo, si postea non mandetur executioni, non habebit effectum. Voluntas ergo conferendi sacramentum, quando omnino antecedit, ita ut postea maneat solum in habitu, non comparatur priori voluntati applicatiuæ sacrificij, sed posteriori proposito applicandi in futurum: & ideo non est sufficiens ad efficiendum sacramentum: quia reuera tantum fuit propositum faciendi postea sacramentum, quod nihil postea operatum est, si mansit tantum in habitu. Ratio vero differentie, ob quam non potest habere locum in sacramento efficiendo prior modus voluntatis sicut in sacrificio offerendo, est clara: quia voluntas, qua offeratur sacrificium, non oportet, ut sit operativa sa-

crificij, sed solum applicatiua fructus eius: & ideo fieri potest per simplicem voluntatem, quæ antecedit ipsum sacrificium, & postea nihil aliud circa ipsum sacrificium operetur: at vero intentio sacramenti esse debet voluntas operativa ipsius sacramenti: & ideo quando omnino antecedit, ita ut postea nihil actualiter nec virtualiter operetur, non est sufficiens ad sacramentum, neque est proprie voluntas efficax eius, sed solum propositum: illud postea faciendi.

Alter pars de actuali intentione non indiget probatione. Vltima vero de virtuali, quod scilicet illa sufficiat, probatur primo ex vfu atque adeo ex consensu totius Ecclesiæ: nullus enim existimat, necessarium esse ad valorem sacramenti, ut minister quando illud exterius conficit, actu cogitet & intendat sacramentum conficere: & contrarium esset magnam occasionem præbere scrupulis & dubitationibus circa valorem sacramenti. Item, est præter humanam diligentiam & potestatem moralein. Vnde confirmatur, quia hæc intentio virtualis sufficit ad operandum moraliter humano modo, & ad transigenda alia humana negotia: sufficit ergo ad actionem sacramentorum. Neque ex verbis Christi supra allatis, aut ex potestate collata ministris sacramentorum, colligi potest, alium modum intentionis esse simpliciter necessarium.

Hic vero desiderari potest, quid sit hæc intentio virtualis, & quomodo influat in exteriorem actionem. De qua re latius agitur. 1. 2. quæstio. 1. hic breuiter responderetur, duobus modis posse hoc explicari, scilicet moraliter & physice. Prior facile expediri potest aduertendo, quod licet ad conficiendum sacramentum non sit necessaria actualis intentio, quæ in rigore coexistat exteriori actioni, ut dictum est, necessarium tamen est, ut saltem in initio actionis, quando homo incipit se mouere, & applicare ad sacramentum conficiendum, præcedat aliqua actualis voluntas, à qua inchoetur illa actio, ut postea in progressu actionis virtualiter durare possit: quia nisi ita fiat, nec intelligi poterit, quomodo intentio sit virtualis, & influat in opus, nec in quo differat ab intentione habituali. Item, quia necessarium est, ut actio sacramenti censetur moralis & humana, hominem ex vi intentionis seu voluntatis sacramenti humano modo & cum humana aduertentia applicari ad eam actionem exercendam: ut, verbi gratia, ad Missam dicendam, vel quid simile: quia hoc saltem necessarium est ad humanam operationem. Vnde tandem requiritur, quod illa intentio non sit per contrariam intentionem reuocata, alioqui actio exterior iam non procederet ab illa, sed casu fieret præter hominis intentionem. Posteriori modo, scilicet physice, difficilius hoc explicatur, quia non apparet quomodo actus exterior, qui nunc fit, procedat physice ab actu interno, qui præterit: quia ille cum iam non sit, nihil potest per se ipsum efficere, nec fingi potest aliqua virtus physica ab illo relictæ, per quam influat: quæ est enim hæc virtus? non ergo apparet quomodo talis actus exterior procedat physice ab illa intentione. Quod si physice non procedit: ergo nec talis actus exterior denominabitur humanus ab illa intentione, nec magis procedet ab illa, quam ab habituali. Et confirmatur, quia si præcedens intentio aliquam virtutem reliquit: vel illa est in voluntate: & hoc non, quia in voluntate, ad summum potest relinquere aliquem habitum, vel dispositionem per modum actus primi, qui non potest influere in actum externum, nisi mediante aliquo actu secundo interno ipsius voluntatis: supponimus autem, voluntatem non esse in actu secundo proprio & interno, qui versetur circa talem externum: alinqui iam esset intentio actualis: Vel illa virtus manet in potentiis inferioribus, seu externis: & hoc non, quia nulla qualitas illis imprimatur ex vi talis intentionis, quæ

quæ possit manere per modum virtutis influentis. Ad hanc difficultatem Richard. dicitur. 6. artic. 1. q. 3. ad 2. censet, hanc virtutem esse quandam qualitatem seu dispositionem, ac veluti impetum, quæ imprimitur ex vi talis intentionis exterioribus organis motuæ potentia, & durat cessante actuali intentione: nam sicut in proiectis, cessante contactu proficientis, manet quidam impetus continuans motum, per quem dicitur proiciens virtualiter mouere: ita (inquit) quando voluntas ex intentione sacramenti applicat exteriora organa ad motum, illis impressit quandam virtutem, quæ durat cessante actuali intentione interna, & ratione illius dicitur actus exterior virtualiter manere ab interiori: illa autem virtus sua sponte paulatim deficit, & quando omnino extincta est, cessat virtualis motus. Sed hanc sententiam non probant Scot. ibi, questio. 6. & Gab. quest. 1. art. 3. dub. 1. Et quamquam argumenta, quæ faciunt, non videantur convincere, quia de impetu proiectorum, eodem modo procedunt, & necessaria solvenda sunt, nihilominus mihi etiam non placet ille dicendi modus, quia non intelligo, per actum interiore in voluntatis veri in membris exterioribus physicam impressionem alicuius qualitatis. Item, quia hoc non est simpliciter necessarium, non est ergo necesse id contingere, aut credere. Aliter ergo dici potest, quamvis non sit necessaria formalis & propria intentio actualis sacramenti, necessariam tamen esse actuale voluntatem, quæ versetur saltem circa materiale actionem, externam, quæ fit per modum usus actiui. Unde consequenter necessaria etiam erit aliqua actualis attentio saltem ad ipsam actionem externam, quæ exercetur. Quod si dicas, nos non experiri huiusmodi attentionem & actualem voluntatem: Respondetur, illam attentionem esse valde debilem & remissam, & non includere reflexionem, quæ aduertamus, nos attendere aut velle: & ideo, licet reuera fit, vt exterior effectus probat, nos tamen illam in se non experimur, quamdiu durat, nec postquam transacta est, recordari, aut diiudicare possumus, an illam habuerimus. Et hic modus dicendi non potest efficaciter refelli. Unde probabilis est, & sæpe fortasse ita accidit. Nihilominus nihil est etiam, quod convincat, hoc esse simpliciter necessarium. Unde D. Thom. hic art. 8. ad 3. tamquam manifestum supponit, posse fieri actionem externam ex virtuali intentione præcedente, sine vlla actuali attentione, atque idem colligitur ex eodem 2. 2. quest. 83. artic. 13. Item, experientia huius rei videtur esse adeo clara, vt non videatur neganda absque euidenti ratione. Quis enim dicat, quamdiu homo ambulat ex vi prioris intentionis seu applicationis, semper actu cogitare de ipsa ambulatione, præsertim cum inter ambulandum alias res attentissime meditatur, aut alia negotia tractat.

Quocirca dicendum censo, cum Scoto & Gabr. supra, hanc intentionem virtuale manere in ipsa motione externa, quæ non semper pendet in fieri & conservari ab actuali intentione seu voluntate interna: Sed postquam per debitam intentionem applicat minister suas exteriores potentias ad actionem sacramentalem, quamvis interruptatur intentio exterior, potentia ipsæ manent applicata & continuant motus suos, & quamdiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere à priori intentione: durabit autem, donec vel finiatur vel obtineatur res prius intenta, vel donec per contrariam intentionem, vel per aliquod superueniens impedimentum irrumpatur, & tunc necessaria erit novavoluntas, vt interrupta actio iterum inchoetur, seu continuetur, probabile autem est, cum actione externa semper concurrere actualem aliquam phantasiam, & appetitus motionem, atque hoc modo per quasdam actiones externas excitari hominem ad alias sibi ordinate succedentes ex vi prioris intentionis, atque ita fieri sacramentum virtute illius.

Dico tertio, ad efficiendum sacramentum necessaria est intentio absoluta, nec sufficit conditionata, nisi talis sit, quæ statim transeat in absolutam. Hanc conclusionem explicuit bene Caietanus in Summ. verbo, Absolutio, & quamvis in particulari loquatur de sacramento Poenitentia; tamen eadem ratio est de omnibus: prior ergo pars probatur, quia sola intentio absoluta est efficax, nam sicut propositio conditionalis vt sic, nihil ponit in esse, ita conditionalis voluntas, quamdiu talis est, suspensa manet, & nihil operatur: si ergo intentio sacramenti non sit absoluta, vel æquualeat seu transeat in absolutam, non potest esse efficax sacramenti. Quod præterea confirmatur explicando posteriorem partem, nam conditio appositae intentioni potest esse, aut de præterito, aut de præteriti, aut de futuro. Si sit primo, aut secundo modo, necesse est, vt vel omnino destruat intentionem, vel vt illam absolutam & efficacem relinquat: nam vel illa conditio re ipsa fuit, aut est iam posita, vel non: si non, destruitur intentio, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est: Si vero conditio est posita, intentio transit in absolutam propter contrariam rationem: & ita hæc intentio est sufficiens ad faciendum sacramentum, quod est certissimum: nam hoc modo sæpe iura consulunt baptizare, seu conicere sacramentum sub conditione de præterito, vel de præteriti, scilicet, si non est baptizatus, vel alia simili. Quæ conditio interdum potest exterius exprimi, interdum sola mente & intentione concipi, neutro autem modo adhibenda facile est sine causa vel necessaria, vel probabili, quia intentio debet fieri determinata, quoad fieri possit, & ideo non debet fieri dependens ab aliqua conditione sine necessitate, alioqui peccare poterit minister adhibendo huiusmodi conditionem, nunquam tamen illa obstabit veritati sacramenti, si in re ipsa conditio posita fuerit. Quapropter non placet quod ait Soto in quarto, distinct. 1. questione 1. articulo 8. si quis baptizet aliquem hac intentione, si es hæreticus, non te baptizo, si autem es Catholicus, ego te baptizo, non conicere sacramentum, quia ille non intendit facere, quod facit Ecclesia, nam Ecclesia intendit, vt sacramentum sit validum, etiam si hæretico detur, cuius contrarium minister ille intendit. Hæc (inquam) sententia mihi non probatur, quia si talis conditio in re ipsa inuenitur, iam intentio transit in absolute: ergo talis minister absolute intendit baptizare hunc, & applicat veram materiam & formam (vt suppono) ergo conicet sacramentum. Neque enim refert, quod non intendat in vniuersum, quidquid intendit Ecclesia: satis enim est quod circa hunc Catholicum intendit facere, quod facit Ecclesia, scilicet, baptizare: nam valor huius sacramenti in individuo, non pendet ex intentione generali circa omnes, sed solum ex intentione particulari circa hunc habentem, hic & nunc has condiciones. Præsertim, quia quod minister nolit baptizare hunc, si est hæreticus procedit solum ex privato errore, qui nihil obstat, quando non destruit aliquid eorum, quæ sunt de substantia sacramenti, & aliquando fieri potest, vt non errore speculatio, sed ex odio nolit baptizare hunc, si est hæreticus vel inimicus, & tunc certum est, conditionem appositam, si in re inuenitur, nihil obstat veritati, & intentioni sacramenti. Neque etiam refert, quod talis intentio exterius verbis exprimat, quia hoc, nec intentionem variat, nec substantiam formæ, quia illa conditio appositae, neque est pars formæ, neque illum immutat.

At vero, si conditio posita sit de futuro, hæc semper est contraria substantia sacramenti, vt si quis dicit, si restiteris, ego te absoluo, nihil sit. Quia conditio de futuro suspendit præsentem intentionem, contraria & facit, vt minister hinc, & nunc absolute non habeat voluntatem faciendi sacramentum: ergo absolute hic &

Ad sacramentum requiritur absolutio vel conditio, quæ statim transeat in absolute.

Nā aliquis requiritur actualis actus exterior.

Vinum, quod dicitur manere in intus.

D. W.

Conditio de futuro sepe est contraria.

hic & nunc non efficit: ergo nunc non fit sacramentum. Dices, si postea impleatur conditio incipiet illud esse sacramentum. Respondetur, id fieri non posse, quia illud, quod futurum erat materia & forma sacramenti, iam præterijt, & non est, eo tempore, quo fuit, non fuit sacramentum: ergo nec nunc potest incipere esse sacramentum. Quia conditio impleta non potest incipere esse sacramentum pro eo tempore, quo fuit actio sacramentalis facta, quia ostensum est, in illo tempore non fuisse sacramentum, neque etiam potest incipere pro illo tempore, in quo impletur conditio, quia in illo nullum est signum sensibile, quo possit esse sacramentum. Dices, quamvis futurus effectus non sit factus, quando conditio ponitur, tamen propositio de futuro, tunc aut est determinate vera, aut determinate falsa: ergo, si est vera, iam censetur conditio posita in re qua reuera illud est futurum, ut supponitur: conditio autem erat, si hoc fiat, vel futurum sit: si autem propositio de futuro est determinate falsa, intentio iam erit nulla, quia conditio in re non est posita. Nec refert, quod nobis sit ignotum, an propositio illa de futuro sit vera, vel falsa. Nam satis est, quod in re ipsa sit vera, ut conditio sit etiam in re ipsa posita, & consequenter sacramentum fit in re validum, quamvis nos id ignoremus, donec videamus effectum in re factum. Respondetur, non esse hunc sensum conditionis de futuro quæ contractui, seu consensui adiungi solet (& eadem est ratio de conditione appositæ intentioni sacramenti) sed hæc conditio apponi solet ad suspendendum effectum, seu absolutum consensum, donec res in conditione posita eueniat, vel non eueniat, qui sensus constat, tum ex communi modo concipiendi, & sentiendi omnium hominum, tum etiam, quia quod propositio de futuro contingenti nunc sit vera, vel falsa, non est res, quæ in humanam cognitionem cadit, & ideo non potest prudenter sub huiusmodi conditione consensus præitari. Et confirmatur, quia alias, qui uxorem duceret sub conditione de futuro, si conditio postea eueniret, non esset tunc denovo Matrimonium perficiendum, nec tunc inciperet esse validum, sed conditio subiecta, tantum esset signum, Matrimonium fuisse validum ab eo tempore, quo sub conditione contractum fuit, quod est euidenter falsum, alioqui, si intra illud tempus ante impletam conditionem homo ille aliam duxisset absolute & sine conditione, non fuisset tale Matrimonium validum, quod est contra Ecclesiæ consuetudinem: signum ergo est consensum conditionatum suspendi, donec impleatur conditio.

An sub conditione dicitur futurum sit sacramentum.

Sed vrgebis, quid si minister ex certa scientia, vel malitia intendat ex tunc facere, vel non facere sacramentum sub hac conditione, si verum est dicere, hoc esse futurum, vel non esse futurum, quæ conditio sic explicata, iam non erit de futuro, sed de præsentia, & æquivaleret huic, si Deus scit, hoc esse futurum. Quæritur [inquam] potest, an talis intentio sufficiat ad sacramentum, & similis quæstio est de hac intentione. Volote baptizare, si es prædestinatus, & non alias, & alia similes facile excogitari possunt. Videtur autem hæc intentio sufficiens, ut in re ipsa teneat sacramentum, si conditio in re ipsa posita est, quamvis à nobis ignoretur, nostra enim cognitio vel ignorantia non refert ad valorem sacramenti. Saep enim baptizatur aliquis sub hac conditione, si non es baptizatus, quamvis illa conditio omnino sciri non possit. In contrarium autem videtur illa conditio valde contraria institutioni sacramenti eiusque veritati. Nam quid Deus sciat nunc de euentu futuro, aut quid prædestinauerit de hoc homine, est omnino res aliena ab humana cognitione: & ideo præter humanam operandi modum est, aliquid velle efficere sub ea conditione. Alioquin sacramentum esset omnino incertum per se, & ex vi talis intentionis, nec posset huma-

no modo sciri, an homo baptizatus, verbi gratia, sub tali conditione, sit vere baptizatus, nec ne, quod est magnum incommodum. In quo est magna differentia inter hanc conditionem, & illam de præterito, si non est baptizatus, tum quia illa est de re humana, quæ per se loquendo inquiri & sciri potest, & per accidens est occulta, tum maxime, quia licet propter talem conditionem incertum sit, an præsens Baptismus sit validus, tamen simpliciter est certum, hanc hominem manere baptizatum, vel præsentem Baptismo vel præterito. Nihilominus, etiam non inuenio sufficientem rationem, quæ conuincat ad dicendum, ex hac intentione, & re ipsa non confici sacramentum, si conditio posita in re ipsa exiit, quamvis ignoretur: censo tamen in primis talem modum esse iniquissimum, & grauissimum sacrilegium continere: quod saltem conuincit ratio posteriori loco facta. Deinde dico, tale sacramentum esse iterandum [saltem sub conditione si sit iterabile] quia, & simpliciter dubium est, an intentio sub tali conditione sit sufficiens & saltem hic, & nunc in tali persona est incertum, an in re existat talis conditio. Ut verbi gratia, si quis baptizaret aliquem, si est prædestinatus, omnino ellet rebaptizandus, quia est incertum, an sit prædestinatus, cum tamen, licet fortasse contingat non esse prædestinatum, nihilominus baptizari debeat. Quinimo, quamvis conditio talis sit, ut ex futuro euentu conitari possit, an fuerit in re posita, nec ne, ut verbi gratia, si conditio sit hæc, si Deus scit, te hoc anno victurum, vel alia similis, quamvis (inquam) conditio huiusmodi sit, non oportet expectare illius rei euentum, quia non debet homo esse suspensus, & dubius de suscepto sacramento, & ideo sub conditione iterandum est, si prius non fuit validum.

Dico quarto. Ut sacramentum sit validum, necesse est, ut intentio ministri dirigatur ad certam aliquam personam, seu materiam, circa quam versetur absque substantiali errore. Hæc assertio in genere sumpta certa est, & prior pars constat, primo ex ipsis formis sacramentorum, Baptismo re, Absoluto re, nam illa Pronomina designant determinatam personam, ad quam dirigi debet intentio ministri, & similiter in forma Eucharistiæ Pronomen, Hoc, designat determinatam materiam consecrandam, est enim peculiare illi sacramento, ut hæc per materiam consecrationem, & quod est effectus formæ, sit circa ipsam materiam. Ratio autem est, quia hæc intentio ministri esse debet efficax & operatiua: actiones autem sunt circa singularia. Posterior vero pars, scilicet, quod hæc intentio esse debeat sine errore substantiali, hunc sensum habet, scilicet, necessarium esse, ut subiectum seu materia circa quam versatur actio ministri, vera ac sine errore sit illa, ad quam hic & nunc dirigatur eius intentio. Et ita explicata hæc pars sequitur ex præcedenti: quia determinata intentio ministri est necessaria ad valorem sacramenti: ergo etiam necessarium est, ut vere cadat in eam rem, ad quam determinatur ex intentione eiusdem ministri, alioquin si intentio dirigatur ad vnum, & actio versetur circa alium, non procedet talis actio ex tali intentione: ergo non erit sufficiens ad sacramentum conficiendum.

Sed quæres, quando fit consensus error substantialis ille, qui in huiusmodi intentione solet intercedere, ut verbi gratia, audio ego confessionem aliquis, quem puto esse Petrum eumque ab suo, cum reuera sit Paulus, dubium est, an hic error sit substantialis: & id est de similibus. Ratio dubij esse potest, quia variatur persona ad quam fertur intentio: ergo non versatur actio & intentio circa idem. Confirmatur, nam in Matrimonio talis error est substantialis. In contrarium vero est, quia in prædicto casu nullus dubitauit, quin illa persona vere ac valide fuerit absoluta. Item, quia ad absolutionem valde accidentarium est, quod sit Petrus vel Paulus. Respondetur:

totum

totum hoc pendere ex voluntate ministri, quia reuera tantum facit id, quod re ipsa & de facto intendit. Unde si ita determinet intentionem suam ad hanc personam, ut omnem aliam excludat, omnis error in tali persona erit substantialis, ut probat ratio facta, si vero non ita determinet intentionem, sed absolute velit conferre sacramentum huic personae, quam praesentem habet, licet existimet esse Petrum, & contingat esse Paulum, erit error accidentarius, quia eo non obstante intentio perseverat circa hanc personam praesentem, atque idem est, si intentio sit consecrare hanc, quam putat esse unam hostiam, cum sint duae: non tamen excludat, sed absolute velit consecrare materiam, quam praesentem habet, tunc enim vtraque manebit consecrata, quia error est accidentalis, & non excludit sufficientem intentionem. Sed interrogabit aliquis, qualis de facto sit intentio ministri. Respondetur, aliud esse quod re ipsa sit, aliud vero qualis esse debeat. Primum pertinet ad factum, & ideo non potest à nobis definiti, sed ipse minister debet agnoscere & discernere intentionem suam: quod si fortasse nesciat, ex materia & circumstantiis diiudicanda erit. Secundum vero pertinet ad ius, de quo dicitur, intentionem ministri debere esse talem, ut simpliciter dirigatur ad praesentem materiam, vel personam absque limitatione, seu explicita conditione, non faciendi sacramentum, si persona non est illa quam ipse existimat nisi specialis ratio aut necessitas obliget ad limitandam hoc modo intentionem. Ita sentiunt fere omnes Theologi, qui hunc punctum attingunt, ut videre licet in Scoto, Ledesina & aliis, & constat etiam ex usu, & ratio est, quia non debet minister sine causa se exponere periculo nihil faciendi. Unde quando aperte non constat de contraria intentione, hoc modo explicanda est intentio ministri, quia omnes intendunt facere sacramenta, modo in Ecclesia consueto. Dixi autem, nisi specialis ratio aliud exigat: praecipue propter Matrimonium, in quo error personae semper est substantialis, ut Divus Thomas docet in 4. dist. 30. quaest. 1. art. 1. irritat enim contractum, & consequenter reddit nullum sacramentum. nam in illo negotio contrahentes, quatenus mutuo sibi tradunt dominium corporis, sunt principales causae illius, & merito limitant intentionem ad hanc personam, excludendo omnem aliam, quia ratio & aequitas humani contractus, hoc intrinsece postulat, & maxime necessarium est in gravissimo Matrimonij onere suscipiendo. Posset etiam interdum in aliquo alio sacramento tradendo expedire, ministrum habere similem intentionem, ut si timeret, ne supponeretur aliqua persona, cui non expediret dare sacramentum, Ordinando illam, vel baptizando, &c. regulariter tamen hoc non expedit, ut dixi.

SECTIO IV.

Verum sanctitas, bonitas, vel fides ministri in sacramento efficiendo, sint de necessitate sacramenti.

Coniungimus haec omnia, quamvis à D. Thoma distinctis articulis tractata sint, quoniam eadem est omnium ratio: & ex eisdem principiis sunt definienda. Per sanctitatem autem ministri intelligimus statum gratiae. Per bonitatem vero, non solum habituales virtutes, sed etiam actuales honestatem ipsius operis, quo fit sacramentum, comprehendimus. Ac simili modo per fidem non solum habituales fidem circa alia mysteria, sed etiam specialiter veram existimationem & credulitatem habituales, aut etiam actuales, circa ipsum sacramentum, quod faciendum est, intelligere possumus. Itaque haec omnia sub huius quaestiones titulo complectimur. De quibus variis fuerunt errores. Primus fuit dicentium ministrum sacramenti, si sit praescitus, seu reprobus, nihil efficere, sed necessarium esse, ut sit praedestinatus. Ita

ferretur docuisse Vvitleph. & colligi potest ex VValden. to. 2. de sacra. c. 14. in Conc. autem Constantiensis non expresse refertur, insinuat tamen sess. 8. artic. 8. illius. Tamen haec haeresis prorsus vana est, & sine vilo fundamento & ex his, quae contra alios errores dicemus, evidentiis confutabitur.

Secundus error fuit, ministrum existentem in peccato mortali, non conficere sacramentum. Hunc errorem in nominato auctore refert D. Thom. 4. cont. gent. ca. 77. & Berna r. ferm. 66. in Cantica. Videntur autem Donatistae huius erroris auctores, quantum ex Aug. colligi potest, lib. 3. cont. Lit. Petil. cap. 20. ubi refert, hoc fuisse apud illos receptum, & quasi generale principium. Conscientia sancte dantis attenditur, quae abluat accipientis. Idem colligitur ex lib. 2. cont. Parm. ca. 10. & ex li. 2. cont. Cresco. ca. 20. quibus locis maxime videtur esse sermo de peccatoribus publicis: tamen in illo libro contra Crescon. cap. 27. & 28. aperte est sermo de omnibus peccatoribus etiam occultis. Praeterea in eodem errore fuisse Luciferianos, colligitur ex Hieron. in dial. contra illos, non longe à principio: sic enim aiebant: Qui ipse peccator est quomodo potest peccata dimittere: quomodo sanctum sacrilegus facit? Praeterea eundem errorem secuti sunt haeretici, dicti Apostolici, qui licet antiquiores sint, tamen tempore Divi Bernhards iterum pullulasse dicuntur, illumque praedicto sermone aduersus eos specialiter scripsisse. Refert etiam Antonin. 4. part. Theologali tit. 11. cap. 7. §. 2. Pauperes de Lugduno eundem secutos esse errorem, & de Albanensibus refert idem Praetor. verbo, Albanenses: & de aliquibus haeticis huius temporis, idem referunt Hofius in confess. ca. 29. & Lyndan. 2. sui Dubitantij.

Tertius error est, fideles, etiam si iusti non sint posse sacramenta conficere, non tamen haeticos, aut schismaticos. Haec sententia solet tribui Cypriano, non tamen fuit ipse primus eius auctor, sed Agrippinus praedecessor eius in Episcopatu Carthaginensi, ut refert Vincent. Lyrensis in libro contra proph. voc. novit: & constat ex Augustino lib. 2. de Bap. cap. 7. & lib. de vnico Bap. cap. 13. qui referunt. Agrippinum coepisse immutare antiquum morem, rebaptizando eos, qui ab haeticis fuissent baptizati. Cyprianus vero illam sententiam acriter defendit, eamque ita aliis Africæ Episcopis persuasit, ut coacto Concilio illam definirit, servata tamen pace cum Ecclesia Romana, ut infra dicemus, & fortasse ob hanc causam Euseb. lib. 7. histo. cap. 3. praetermissio Agrippino, Cyprianum facit primum huius sententiae auctorem, quem secutus est Niceph. lib. 6. histo. cap. 7. Haec vero controuersia inter hos Patres eo tempore sine pertinacia, aut nota haeresis, ventilabatur: Postea vero Donatistae contra Romanæ Ecclesiae auctoritatem, eam pertinaciter, tamquam haetici docuerunt, adeoque hunc errorem auxerunt, ut veram Ecclesiam, in solis ipsis permanisse dicerent, ideoque omnes suam sectam transeuntes, ubicumque baptizati essent, rebaptizarent, ut August. frequentissime contra eos disputans, auctor est.

Quartus error esse potest, habituales fidem, vel sanctitatem ministri, non requiri ad veritatem sacramenti, necessarium tamen esse, ut saltem ipsum opus administrandi sacramentum recte & sine peccato exerceat, quia sacramentum principaliter esse debet opus Dei: peccatum vero ita cum Deo pugnat, ut non possit Deus esse auctor illius: ergo, si ipsummet opus, quo fit sacramentum, peccatum sit, non potest esse aptum ad constituendum sacramentum. Huius sententiae non inuenio specialem aliquem auctorem.

Quinta sententia esse potest, haeticos aut malos ministros, posse quidem dare sacramentum, non tamen effectum sacramenti, quia si sanctus non est, non potest alium sanctificare: & hoc maxime videntur significasse Luciferiani in verbis ex Hieronymo nuper citatis. Fundamenta omnium horum errorum afferere.

Error personae in Matrimonio

in Matrimonio

in Matrimonio

Prim. er. 11.

afferemus commodius in fine sectionis, eiusque satisfaciamus.

*Valor vel
veritas sa-
cramenti
non pendet
a fide, vel
sanctitate
ministri,*

Dicendum ergo in primis est, valorem ac veritatem sacramenti non pendere ex fide vel sanctitate ministri, atque adeo sacramentum datum à ministro, quantumvis iniquo, schismatico, haeretico & ab Ecclesia praeciso, validum esse, dummodo reliqua omnia necessaria concurrant. Haec assertio iam est de fide, quamquam ex sola scriptura probari non possit, vt Aug. notauit libr. de vniuerso Baptismo cap. 11. Possunt tamen ex scriptura sacra nonnulla testimonia adduci, ad hanc veritatem confirmandam, quale est illud, Matt. 23. Super cathedram Moysi, sederunt Scribae, & Pharisei, quaecumque dixerint vobis seruare, & facite: secundum autem opera eorum, nolite facere. Quod testimonium assert D. Tho. loco supra citato, atque ex eo colligit, manere in ministris Christi potestatem Ordinis, etiam si prauis sint, cum illis obediendum sit propter potestatem, quam habent. Ex praedictis autem verbis solum videtur immediate inferri manere in eis potestatem iurisdictionis, nam obedientia magis debetur propter hanc potestatem, quam propter potestatem Ordinis. Nihilominus tamen argumentum potestatis esse efficacis, vel à paritate rationis: nam si potestas iurisdictionis manet in ministro, iniquo cur non est potestas Ordinis: cum vtrique non ad ipsius commodum, sed ad aliorum bonum à Deo data sit, & in vtriusque vsu Christum repraesentet, eiusque vicem gerat? Vel certe dici potest aliquando esse obediendum ministro Christi, non solum propter potestatem iurisdictionis, sed et propter potestatem Ordinis, vt maxime patet in interiori foro sacramenti Penitentiae. Aliud testimonium assumi potest ex 1. ad Cor. 4. vbi Paulus prius inquit: Sic nos existimet homo, vt ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei, postea vero subdit: Hic iam queritur, inter dispensatores, vt fideles quis inueniatur. Sentit ergo, ministrum Christi, et si prae aut infideliter suo munere fungatur, nihilominus dispensatorem esse mysteriorum seu sacramentorum Dei. Tertio ponderat Hieron. in citato dialogo contra Lucife. circa finem in Apoc. haereticos, qui secuti fuerant doctrinam Nicolaitarum, inuitari ad Penitentiam, non tamen moneri, vt quos baptizauerant, vel ordinauerant, iterum baptizent, vel ordinent, quia nimirum, licet gratiam & finem amisissent, non tamen sacramentorum veritatem. Quarto est considerari potest, quod Paulus Act. 19. iterum baptizari fecit eos, quos solo Baptismo Iohannis inuenit baptizatos: numquam tamen legimus Apostolos iussisse iterum baptizare, aliquos Baptismo Christi baptizatos, et si credibile sit, multos fuisse baptizatos ab haereticis, qui ab illis temporibus pullulare ceperunt. Verisimile est etiam, iniquissimum Iudam aliquos cum caeteris Apostolis baptizasse: non est autem verisimile Baptismum ab eo datum, existimatum fuisse minus validum aut fuisse iteratum. Quinto denique adiungere possumus. Verba Christi, quibus suis ministris hanc dedit potestatem, fuisse absoluta ac generalia. Hoc facite, seu, Quorum remisistis peccata, &c. ergo non est quod nos ea limitemus ad ministros sanctos vel fideles.

Secundo praecipue probatur haec veritas ex antiquitate ac perpetua traditione, ac tandem Ecclesiae definitione. De antiquitate n. sic scribit Vinc. Lyrinen. de Agrippino loquens. Primus omnium mortalium contra diuinum Canonem, contra vniuersalis Ecclesiae regulam, contra sensum omnium confacerdotum, contra morem, & iustitiam maiorum rebaptizandum esse censebat. Vnde inferius subdit: Quis ergo tunc vniuersi negotij exitus, quis vtique nisi vilitas & solitudo? retenta est scilicet antiquitas, explosa nouitas. Sed forte tunc ipsi nouitiae adiuuentioni patrocinia desuerunt: imo vero tanta vis ingenij adfuit, tanta eloquentiae flumina tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta diuina legis oracula: sed plane nouo, ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa

conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi solum tantum moliminis causam, ipsa illa suscepi- pla defensa, ipsa laudata nouitatis professio de uultu ter. & haec de antiquitate sufficiunt: nam est Euseb. loco supra citato c. 2. 3. & 4. refert sententiam huic dogmati contrariam, tempore Cornelij & Stephanij Romanorum Pontificum, & Dion. Alexandrini exortam esse, ac Dionysium epistolam de hac re ad Stephanum scripsisse, in qua refert quam plures Episcopos repudicia nouitate, anriquam sententiam retinuisse, eamque Variis Conciliis delinuisse. Specialiter aut Aug. lib. 1. de Baptismo c. 7. refert post mortem Cypr. hanc veritatem denitatem esse in plenario Concilio non explicat aut, quodnam illud fuerit, nonnulli vero contentantur fuisse Concilium quoddam Capuense, sic enim de illo dicitur Concilium Carthaginense tertium, capite 5. cetero octauo, & Concilium Africicum capite 5. Illud autem suggerimus mandatum nobis quod etiam in Capuensi plenaria Synodo videtur factum, vt non liceat fieri baptizaciones & re ordinationes. De qua Synodo Capuensi nihil aliud scriptum reperio: constat autem non fuisse vniuersalem totius Ecclesiae, sed fortasse nationalem totius Africæ, & ideo appellatam esse plenariam Synodum in illis Conciliis. Nam quod absolute vniuersalis non fuerit, patet, quia post Concilium Nicenum primum, nullum aliud vniuersale congregatum est vsque ad Concilium Ephesinum, quod fuit tertium generale, Praeter Constantinopolitanum primum, certum vero est, Concilium illud Capuense, & Carthaginense etiam tertium ante Concilium Ephesinum celebrata fuisse. Vnde non videtur Augustin. de hoc Concilio locutus, sed de aliquo alio vniuersali totius Ecclesiae, quia libro 1. de Baptismo capite 18. vocat illud vniuersale totius orbis, lib. autem 2. capite 9. dicit fuisse congregatum, antequam ipse nasceretur. Vnde probabile est, illud fuisse Concilium Nicenum primum, quia ante Augustinum natum nullum aliud Oecumenicum Concilium celebratum fuit, nam Sardicense, quod paulo post Nicenum fuit celebratum, & quasi pro eodem cum illo computatur, videtur fuisse Augustino ignotum, vt colligitur ex Con. 6. Carthag. can. 6. & 7. Quod autem Concil. Nic. hoc tradiderit colligi potest ex Hieron. dia. con. Lucifer circa finem, vbi dicit, Concilium Nicenum recepisse omnes ab haeresi respicientes in suo gradu, id est, baptizatos, vt vere baptizatos, & ordinatos similiter in ordine suscepro, exceptis solis Paulinianis, quæ exceptio habetur nunc in Can. 19. Conci. Nicen. & Cano. 8. de Nouatianis specialiter praecipitur, vt in suo gradu recipiantur. Illa vero definitio vniuersalis quam refert Hieron. non extat, sed fortasse illam intulit ex particulari illa definitione, quoniam eadem ratio & doctrina est de omnibus, & ex altera exceptione Paulinianistarum, qui propterea excepti sunt, quia non seruabant verum ritum Baptismi, vt exposuit Innocent. 1. epistol. 22. capite 5. Ibi tamen significat, nec fuisse in illo Concilio adiectam, de hac re vniuersalem regulam, nec licere eam, quæ de Nouatianis specialiter tradita est, ad omnes alios haereticos extendere, sed non intelligit hoc Innocentius, quoad valorem sacramenti: nam in hoc potius aperte docet omnes, qui vero ritu baptizati fuerint, sicut à Nouatianis, non esse iterum baptizandos, quia verum recipiunt Baptisma: Intelligit illam regulam non esse extendendam, quoad hoc, vt omnes recipiantur in eodem gradu & honore, quod spectat ad quandam remissionem cuiusdam Ecclesiasticae poenae, in qua non licet sumere argumentum à simili, vt gratia quibusdam concessa, omnibus facta censeatur. Secus vero est de valore sacramenti, quia in hoc necesse est, doctrinam esse vniuersalem. Quocirca non est improbabile, fuisse in Concilio Niceno additum alium Canonem, qui generalem illam doctrinam contineret, nam quod fuerint plures Canones illius Concilij, quam nunc extant, & haereticorum industria fuisse

fuisse corruptos, constat ex Athanasio in epistola ad Marcellum Papam. Accedit, quod Syricus Papa epistola prima, capite 1. sic inquit aduersus quosdam, qui denuo baptizare volebant, eos, qui ab hæresi Arriana ad Ecclesiam redibant. Quod non licet, cum hoc fieri, & Apostolus veter, & Canones contradicant, & post cassatum Ariminense Concilium missa ad Provincias, à veneranda memoria prædecessore meo Liberio, generalia decreta prohibeant. Quos nos cum Nouatianis alijque hæreticis, sicut in Synodo constitutum per inuocationem solam scripturæ Spiritus episcopalis manus impositione Catholicorum conuenitui sociamus. Verbis generalia decreta appellat alicuius Concilij generalis decreta, quod per antonomasiam Synodum absolute vocat, constat autem nullum Synodum generalem fuisse ante Nicenam. Eandem doctrinam tradit Conc. Carthag. primum, cap. 1. ubi hoc sensu dicit re baptismationes esse prohibitas, contra Donatistas, idem clarius definitur in Concilio Aurelian. 1. capite 8. & Concil. Constan. sessio. 8. damnantur artic. 4. Iohann. V. Vicleph. & art. 18. Iohann. Hus, in quibus prædictus error continebatur. Ac denique Concil. Trident. sessio. 7. can. 12. de sacrament. in genere, definit, ministros sacramentorum, etiam si in peccato mortali sint, si cætera necessaria seruent, vera conferre sacramenta. Et Canone 4. de Baptismo definit Baptisimum posse dari ab hæreticis. Idem docuit Stephanus Pap. 1. tempore Cypriani, vt constat ex historijs supra citatis, & ex epistolis Cypriani inferius citandis, & Leo Papa epist. 77. alias 79. cap. 7. Anast. Papa ep. ad Anast. Imperato. cap. 7. & 8. qui in particulari loquitur de Baptismo & Ordine alij vero frequentius loquuntur de solo Baptismo. Vnde non inuenio expressam definitionem vniuersalem de omnibus sacramentis, quod ministrata ab hæreticis rata sint, est tamen res certa, vt ex dictis satis patet, & in singulis sacramentis latius tractabitur.

Tertio, probanda est hæc veritas ratione, quia veriores hæc non est ex his, quæ consistunt in physica rerum natura, sed ex institutione pendet, ideo ad illam necessario recurendum est, cuiusque prudens ratio intelligenda. Non est enim dubium, quin potuerit Christus Dominus ita instituire sacramenta, vt ad eorum valorem & veritatem, tanquam necessariam conditionem postularer ministri sanctitatem aut fidem: Nulla enim in hoc est repugnantia, fuit autem maxime expediens, non instituire, sed absolutam potestatem dare suis ministris ad conficienda sacramenta, promittendo illis suum necessarium concursum independentem ab eorum malitia, vel bonitate. Primo, quia alias Ecclesiasticus ordo & regimen valde esset perturbatum ac incertum, non speculatiua aliqua vel inuisitata incertitudine, sed valde communi, morali ac humana: quoniam fides vel sanctitas ministri frequentissime deest ac moraliter deesse potest. Qua ratione sæpe vititur August. in 1. lib. contra Lit. Petil. cap. 3. & lib. 2. c. 5. ac sæpe alias. Dices rationem hanc esse probabilem de peccatoribus occultis: non vero de publicis, & præsertim si sint hæretici & Schismatici, & ab Ecclesia præcisi, nam cum horum malitia non sit, & facile vitari possunt, & satis potest Ecclesia consistere sacramenta ab eis data, irrita esse. Respondet Augustinus, si hæc potestas ministrandi sacramenta non pendet ex gratia vel fide in re ipsa in peccatoribus occultis, neque etiam debuisse pendere ex fama vel noticia talis defectus in ministro existentis, tum quia hæc noticia est valde accidentaliter & extrinseca: tum etiam, quia quod delictum sit occultum, sæpe aggrauat malitiam propter simulationem & hypocrisin: tum præterea de hoc ipso maxima esset dubitatio & perplexitas, qualis scilicet vel quanta esse debeat hæc noticia seu publicatio delicti. Item, quia interdum accidit peccatum ministro, etiam si alias publicum sit, latere eum, qui bona fide ad suscipiendum sacramentum accedit, aut e contrario pec-

Franc. Suarez Tom. 3.

catum alijs occultum, esse cognitum ei, qui suscepturus est sacramentum, fortasse bene vtendo malitia alterius. Ac tandem interdum expedit propter necessitatem sacramentum accipere, etiam à publico peccatore: nonnunquam etiam qui coram Deo innocens, & bonus est, prauus existimatur à multis: non ergo debuit veritas sacramentorum ex hominum opinione vel existimatione pendere. Secunda ratio principalis est, quia si peccator vel hæreticus priuaretur hac potestate, vel hoc esset, quia est illa indignus, vel quia non decet Deum vti homine iniquo, vt instrumento ad supernaturalem effectum, præsertim ad gratiam conferendam, vel quia Ecclesie, seu hominibus, qui recepturi sunt sacramenta, non expedit, huiusmodi homines esse sacramentorum ministros. Sed nihil horum dici potest, aut est verisimile. Primum probatur, quia peccator est in dignus fide, & hæreticus est indignus baptismali characterē, & vita ac bonis omnibus, quibus iuste priuari possunt, & non priuantur: ergo ex hoc capite nihil colligi potest præsertim in eo genere bonorum, quæ ipsis non propter ipsos, sed propter aliorum vtilitatem, dantur, inter quæ hæc potestas conficiendi sacramenta annumeranda est. Quod à simili confirmatur, quia gratia gratis data sæpe datur peccatoribus, quamuis illis indigni sint, quia ad aliorum vtilitatem ordinantur. Vnde de Caipha dicitur Iohan. 11. propheta esse, Quia erat Pontifex anni illius. & Matth. 7. dicit, Dominus nonne in nomine tuo prophetauimus? Et simile argumentum supra sumptum ex potestate iurisdictionis, quia non priuantur peccatores, etiam si indigni sint, & idem dici potest de dominio temporali. Secundum membrum probari potest, primo ab exemplo ex Aug. lib. 4. de Bapt. c. 11. ex potestate euangelizandi, & effectus eius: sæpe enim Deus per verbum hominis peccatoris alios conuertit, & iustificat, quod est contra diuinam bonitatem, sed maxime illam decet, eiusque sapientiam & potestatem commendat, dum quorundam malitia in aliorum bonum vititur: maxime quia non illis vititur, vt mali sint, sed vt homines & creature sue sunt, sub qua ratione boni sunt. Adde, quia Deus vtendo malo ministro, ostendit sanctitatem & efficaciam sacramenti, non esse ab ipso ministro sed à Christo: ipsum vero ministrum solum esse veluti canalem, per quem gratia ad alios confluit, aut tanquam operarium, qui facit semina, plantat, aut rigat, Deo incrementi dante. Tertium membrum satis probatum est ex prima ratione, nam potius Ecclesie maxime expediens fuit, vt sacramenta ab his ministris collata valida sint, quamquam ipsi peccent illa ministrando. Hæc sumpta sunt ex August. lib. 2. cont. Lit. Pet. c. 5. & lib. 3. cont. Cresc. c. 8. & lib. 3. de Bapt. cap. 11. & lib. 4. cap. 20. & tract. 5. in Iohan.

Tertio, tandem possumus à posteriori argumentari, fuisse conueniens characterē esse indelebilem, nam si Catholicus baptizatus in hæresin labatur & postea resipiscat, non baptizatur iterum ex omnium sententia etiam hæreticorum: signum ergo est, characterem Baptismi indelebilem manere, & non amitti propter peccatum vel hæresin, ergo eodem modo sacerdos rite ordinatus, si hæreticus fiat, characterem sacerdotalem retinet indelebilem: ergo retinet potestatem conficiendi sacramenta: ergo si velit illa conferre, & materiam & formam necessariam adhibeat, verum sacramentum perficiet. Hæc ex Aug. 2. contra Parmen. c. 13. & Hier. dial. contra Lucifer.

Ex quibus rationibus sequitur primo, assertionem positam aequè procedere in omnibus sacramentis, quia rationes factæ eandem vim in omnibus habent, atque ita eadem fere est de omnibus traditio, quamuis in Baptismo magis sit expressa, præsertim quoad hæreticos, vt dixi. Atque eodem modo rationes factæ eandem vim habent in quocunque genere peccati, siue illud contra charitatem sit siue contra fidem: & siue peccatum habituale sit, siue actuale, ac redundans in ipsam

ipsammet actionem, quā ministratur sacramentum: nam licet procedat ex intentione prima, aut ex defectu alterius circumstantiae actio iniqua fit, nihilominus sacramentum validum erit: quia ipsa bonitas vel malitia, quae ex voluntate vel circumstantia personae ministri adiungitur tali actioni, est per accidens & extrinseca ad rationem sacramenti. Neque inde fit, aut sacramentum amittere sanctitatem suam, aut Deum speciali & supernaturali auxilio concurrere ad peccandum, quia sacramentum non est ipsum peccatum, sed est actio illa, ut passio, cui ex malitia ministri coniungitur aliquis defectus seu culpa, ad quam Deus nullum speciale auxilium praebet, sed ad actionem seu effectum sacramenti. Hic vero occurrebat difficultas, quia interdum in decretis indicatur, Ordinationes ab haereticis factas non esse veras, sed de hac re suo loco dicendum est: non enim est sensus, Ordinationes factas ab haereticis, si substantialia omnia seruentur, non esse ratas, sed esse prohibitas, & sic ordinaros esse ab usu Ordinum rejciendos. Legatur de hac re Petrus Damianus epi. 15. cap. 31.

Secundo sequitur, assertionem positam non solum de sacramentis, sed etiam de effectibus sacramentorum veram esse. Itaque minister, quantumvis iniquus vel haereticus, sicut confert verum sacramentum, ita etiam dabit sacramenti effectum, si suscipiens non ponat obicem. Quod omnes Scholastici docent, hanc quaestionem tractantes, & praesertim bene explicuit Alenf. 4. part. quaest. 16. m. 3. artic. 1. tradit etiam expresse August. lib. 2. cont. Lit. Petil. ca. 6. & 47. tract. 5. in Iohan. Et quamvis hoc de effectu non sit, sub his terminis tam expresse definitum, tamen omnino certum est, & necessario sequitur ex principijs fidei. Et primo quidem de effectu characteris res est clara: nam ideo Baptismus datus ab haeretico iterari non potest, quia characterem indelebilem imprimit. Atque idem est de sacramento Ordinis vel Confirmationis. Rursus de effectu gratiae regula fidei est, sacramenta dare gratiam non ponentibus obicem, ex Concilio Trident. sessio. 7. Cano. 6. & 7. sed sacramenta data ab iniquis ministris sunt vera sacramenta: ergo dant effectum, si suscipiens non ponat obicem: cuius exemplum evidens est in paruulo baptizato ab haeretico, nam si statim moriatur, sine dubio saluabitur, alioqui vel rebaptizandus esset à Catholico, priusquam moreretur, ne periret, vel maneret omni remedio destitutus, vtrumque autem absurdissimum & haereticum est: ergo non solum recipit sacramentum, sed effectum sacramenti, & sanctificationem, quia nimirum non posuit obicem: ergo idem est de quocumque alio non ponente obicem, etiam si minister sacramenti iniquissimus sit. Denique propter hanc causam diximus in superioribus, per se loquendo non augeri, aut minui effectum sacramenti propter bonitatem vel malitiam ministri, & ibi ostendimus hanc sententiam antiquorum Patrum.

Tertio colligi ex dictis potest, veritatem hanc non solum in sacramentis legis nouae, sed etiam in sacramentis legis naturae & veteris habere posse locum, quamquam enim non sit tanta certitudo: quia nonnulli dubitarunt, praesertim de sacramento legis naturae, & nihil in hoc est haecenus definitum, tamen sine dubio hoc est probabilius: quia rationes adductae eandem vim habent in omnibus sacramentis, & in omni tempore ac lege: praeterquam quod haec est expressa sententia Aug. ep. 203. & lib. 2. cont. Lit. Petil. c. 72. & lib. 1. cont. Cresc. cap. 31. Sine causa igitur quidam moderni contrarium affirmant de sacramento Circumcisionis, nimirum non fuisse validum ab infideli collatum, eamque opinionem attribuunt antiquis Theologis in 4. dist. 1. & Alenf. 4. p. q. 1. mem. 7. ad 2. & q. 6. mem. 3. artic. 3. Cui opinioni fauet Cano relectio. de sacramentis in genere, part. 5. ubi inter alias hanc differentiam constituit inter noua & vetera sacramenta, quod illa sanctificant ab infideli ministrata, haec vero minime. Sed

imprimis Cano non explicat, an tale sacramentum esset validum, sed solum loquitur de effectu: poterat autem sacramentum esse validum, quamuis non sanctificaret, ut patet in adulto ponente obicem: quod ergo abique huiusmodi minister non esset verum sacramentum, prorsus sine fundamento dicitur, & contra debitam sacramentorum institutionem, ut ex omnibus adductis à paritate rationis facile ostendi potest. Si autem sacramentum erat validum, sine causa negatur, non fuisse in illo datam sanctitatem non ponenti obicem, quia ille effectus non nitebatur in merito aut fide ministri, sed in Dei promissione & merito Christi praestitis. Nec refert, quod dici solet, in circumcissione, vel sacramento legis naturae, non fuisse datam gratiam, nisi ut erant signa protestantiae fidei Christi venturi: Nam hoc intelligendum est, non de fide ministri, sed de fide Ecclesiae, ut supra explicatum est. Quod vero Cano ait, tunc fuisse datam gratiam ex misericordia, & non ex iustitia, nunc vero dari ex iustitia & merito Christi, non est simpliciter verum, nam respectu nostri, etiam nunc datur ex misericordia: respectu vero Christi, etiam tunc datur ex iustitia. Neque antiqui auctores aliquid diuersum docent ab his, quae diximus, si attentè legantur.

Superest, ut fundamentis contrarii erroris satisfaciamus. Et primo quidem Episcopi Africani multa ex scripturis obijciébant, ut illud Ecclesiast. 34. Ab imundo quis mundabitur? & infra eod. c. Qui baptizatur à mortuo, quid proficit lauatio eius? & illud Ps. 140. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum, & similia, quae latissime profertur August. libris citatis contra Dona. scribens. Respondetur tamen ad primum testimonium, ministrum sacramenti non mundare virtute sua, sed virtute Christi, qui per illum operatur, non ut immundus, seu peccator est, sed ut homo est, quo utitur, ut instrumento suo, & ideo potest ministrum sanctitatem, quam ipse non habet, alteri dare, quia non ut principalis, sed ut instrumentalis causa operatur. Ad secundum Aug. 2. contra Cresc. c. 24. in verbis illis: Qui baptizatur à mortuo: per mortuum, idolum intelligit, & interpretatur illa verba scripta esse aduersus caeremonias gentium, qui inutiles erant & sine fructu, idem vero August. lib. 6. de Bap. c. 34. eundem locum attingens, & praedictam expositionem tacite referens, inquit: Quid sit à mortuo baptizari, sine praedicti diligentioris eiusdem scripturae considerationis, alibi iam diximus. Diligentius ergo retextum illum considerando, videtur literalis sensus esse, particulam illam, à mortuo, non significare habitudinem & causam efficientem, seu ad ministrum, sed ad terminum à quo: ita ut sensus sit, qui baptizatur, ut mundetur ab immunditia, quae contrahit ex contactu mortui, & iterum tangit mortuum, nihil ei prodest ablutio. Vnde sermo ibi potius est de caeremonijs, quibus Iudei in lege veteri utebantur, ad immunditias legales detergendas, ut constat Nu. 19. sub hoc autem exemplo, dirigitur proloquium illud in eos, qui nunc in peccatis dolent, & ea continentur, paulo autem post ad ea redeunt, ut notauit Greg. exponens illa verba Ps. 50. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, & lib. 9. epi. 39. & in eodem sensu citat hoc testimonium Celsarius ho. 9. & ex ipso contextu est manifestus: nam in primis verba ipsa non integre citantur ab Aphr. Episc. sic enim habent. Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? omittunt enim illa intermedia verba, & iterum tangit mortuum, quae aperte explicant sensum praedictum. Deinde statim exemplum praedictum accommodat Sapiens, dicens: Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humilitudo se? Ad tertium de oleo peccatoris respondetur, sermonem ibi esse de oleo ablutionis, & applicari etiam potest ad oleum turpis voluptatis, de quo legitur potest Aug. epi. 120. de gratia noui testamenti, cap. 31.

Secundo obijci potest Can. 45. Apostolorum, qui sic ait:

ficat: Episcopum, aut presbyterum hæreticorū suscipiente Baptisma, damnari præcipimus, quæ enim concunctio Christi ad Belial: aut quæ pars fidelis cum infidelibus? Responderi potest primo, non dici Baptismū hæreticorum Baptismū Christi ab hæreticis ministratum, sed alium ab hæreticis inuētum, in quo illi suos errores miscent, mutando formam vel materiā, & adiungendo ritum aliquem veritati sacramenti contrariū. Secundo, si hunc canonem intelligamus de Baptismo Christi dato ab hæretico, pœna illa non fertur in eos, qui tale Baptisma, postquam datum est, tamquam verum sacramentum recipiunt, sed in eos Episcopos vel presbyteros, qui hæreticos admittunt ad sacramenta ministranda. Hoc enim semper prohibitum fuit, non quia talia sacramenta inuāda sine sed quia sacra ministeria non sunt indignis committenda.

3. Obiecti.
Cypr.
Tertio, obiectio confici potest ex variis Patrum sententijs, quæ partim sunt de sacramento ipso, partim de effectu. Primo ergo Cyprianus accerrimus fuit defensor contrariæ sententiæ, in quo illud est difficile, quod non solum eam simpliciter docuisse sed etiam contra definitionē Stephani Pap. pertinaciter asseruisse videtur, nam Epist. 7. ad Pompe. sic inquit, Quæ mihi ad litteras meas Stephanus frater noliter rescripserit, nisi tibi rescripti eius ex eplū, quo lecto, magis ac magis errore eius denotari, qui hæreticorum causam cōtra Christianos, & cōtra Ecclesiam Dei asserere conatur. Multaq; similia aduersus Pontificis sententiam in sequētib; scribit. *Illa* tamen Stephani epist. quam ibi commemorat, non extat: videtur autē Steph. scripsisse definiendō Pōtificia auctoritate. Scribit enim Aug. li. 5. de Bapt. c. 23. Steph. in ea epi. non solū Cypr. non consensisse: verū etiam contra scripsisse, atq; præcise. Vnde c. 25. de Cypr. sic scribit: *Illa*, quæ in Stephanū irritatur effudit, retrahere nolo, quia non opus est, eadem quippe esse dicitur, quæ iam satis discussa sunt, & ea præterire melius est, quæ periculum perniciose dissensionis habuerunt, & subdit: Steph. autē & abstinendos putauerat, qui de suscipiendis hæreticis præcise consuetudinem conuellere conarentur. Significat ergo Steph. excommunicasse eos, qui cōtrariam sententiā tuerentur. Atq; idē indicat Euf. lib. 7. Hist. cap. 4. qui addit Dionys. Alexan. hoc agre tulisse, & ad Sixtum Pap. scripsisse, considerādā esse rei magnitudinē. Quia nō quicunq; (inquit) sed permagni, & nobiles inter Episcopos viri sunt, quibus hoc visum est.

Secundo fauere videtur cōtrariæ sententiæ Atha. f. 3. con. Arria. cir. med. vbi Baptismū ab Arria. datū. vanū, & inutilem, & speciem tantū Baptismi, atq; inane simulachrū vocat: & postea subiūgit. Sicut creatura diuersum quid est à filio, ita diuersum quiddam est, qd ab illis dari existimatur, tæcti nomen Patris & Filij, quia illa in scripturis vident, simul et se nominare. Nō enim, qui simpliciter ait, Dñe, is est, qui legitimū tribuit Baptisma, sed qui nomen exprimit, & fidē rectā habet, ideoq; Saluator, non quomōdo baptizadū præcepit, sed prius dixit, docete, deinde, baptizate, vt ex Doctrina recta fides crearetur.

Tertio Gre. Na. Orat. 40. licet doceat, peccatorem posse esse Baptismi ministrum, hanc vero doctrinam his verbis limitat. Dū modo non aperte condemnat⁹ sit & ab Ecclesia alienus, & infra: Quiuis tibi inuitat⁹ est, qui modo eadem fide informat⁹ sit. Vnde fit cōiectura nostram sententiā non fuisse in Con. Nic. definitam: præsens enim fuit Atha. & Greg. Naz. postea scripsit, & Basil. etiam, qui tamen in epi. 1. ad Amph. can. 1. licet in sententiā Catholicā inclinet, non tamē vt certam, sed vt dubiam eam amplectitur, dicens: Quoniam nonnullis Asiaticis omnino visum est, propter multorum œconomiam & dispensationem, eorum Baptisma suscipi, suscipiatur.

Quarto, de effectu sacramenti sic loquitur Ambr. li. de his, qui inuitant. ca. 4. Non sanat Baptismus perfidiam. Franc. Suarez Tom. 3.

dorū, sed polluit. sic etiam Leo Pap. in citat. ep. negat baptizatos ab hæreticis suscipere sanctificationem, sed solum ac nudum sacramentum. Atq; eodem modo Aug. cont. Donat. scribens, saepe dicit eos errasse, non distinguentes inter sacramentum, & effectum sacramenti. Nam ex eo, quod hæretici non possunt dare sanctificationem, inferebant, non posse dare sacramentum, cum tamen prius verum sit, posterius autem falsum, vt ex Aug. colligi potest, lib. 3. de Bapt. c. 17. li. 5. c. 21. 22. & 24. & lib. 6. ca. 1.

Ad Cyprianum dixerunt quidam, (vt Aug. refert *Ad Cypr.* epist. 48.) Cyprianum reuera nunquam sensisse, nec docuisse, sacramentum datum ab hæretico nullum esse, aut baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos sed hoc illi fuisse ab hæreticis impositum eiusq; scriptis insertum. Sed merito Aug. respōsum hoc incredibile iudicat, nam ex antiquissimis Patribus & historis & ex scriptis Cypria. fere euidentissime constat, illum in ea sententia fuisse. Neque eius sanctitati vel auctoritati derogat, quod in re non dum aperte definita, recta intētionē, ac religionis zelo errare potuerit. Negari tamen non potest, quin in prædicta ep. aliquantulum excesserit, vt significauit etiam Aug. d. lib. 5. de Bapt. cap. 25. vbi ad eum excusandum subiūgit. Quamuis comotus, sed tamen fratere indignetur, vici tñ pax Christi in cordib⁹ eorū, vt in tali disceptatione, nullū inter eos malū Schismatis oriretur: & similia habet l. 2. c. 6. Vnde intelligitur Step. Papa, neq; definiuisse, neq; contra sententiā Cypr. aliquid absolute præcepisse. Et propter hanc causā Vin. Lyr. ita de hac controuersia loquitur. Onerum mira cōuersio auctores eiusdē opinionis Cathol. confectatores vero hæretici iudicantur, absoluunt magistri, cōdemnantur discipuli, conscriptores librorū hlij regnerūt, afflores vero gehēna suscipiet. Nā qd, illud Sanct. omnium & Episcop. & Martyrum lumē, Beatisimum Cypria. cum cæteris collegis suis, in eternū dubitet regnaturum cum Christo: Addit tandē Aug. l. de vni. Bap. c. 13. Si Cypr. in hac causa aliquid purgādū habuit, vltima pāisionis falce fuisse sublatū. & epist. 48. dicit, non incongruenter de tali viro credi, quod ante mortē se correxerit, & sententiā mutauerit. Quam etiam mutasse Episcopos Africanos, qui prius in suo Concilio subscripserant, significat Hier. in Dial. cont. Lucif. auctor etiam libri de Card. Christ. ope, qui Cypriano tribuitur, capite de Baptif. Christ. sententiā Catholicā apertissime docet.

Ad Athanasium respondetur, non negare sacramentum ab Arrianis datum esse validum, nam potius dicit Arrianos versatos esse in magno periculo admittendi Baptismi integritatem, & veritatem. Nō ergo sentit Baptismū Arrianorum hoc ipso, quod ab hæreticis ministrabatur, fuisse nullum, alioquin non diceret eos versatos esse in periculo admittendi Baptismū, sed simpliciter amisisse illum. sed sentit quoniam illi errabant in fide Trinitatis, facile potuissent cōmittere essentialē defectum, aut in forma, aut in debita intentione baptizandi. Ac præterea in citatis verbis non de valore sacramēti loquitur, sed de effectu, qui est sanctificatio, quam non consequuntur qui ab Arrianis baptizantur, illis nimirum consentiēdo in fide, & errore: & hoc sensu dicit, tale Baptisma esse vanum, & infructuosum, vt magis in sequentibus explicat. Neq; est alia mens Gre. Naz. non enim prohibet, sumere Baptismū ab hæretico, quia non possit ab illo fieri verum sacramentum, sed quia non debet ab indigno ministro sumi, & quia semper prohibitum fuit cum hæreticis communicare, præsertim in rebus sacris: loquitur autem Nazian. per se, ac regulariter, non vero de casu extreme necessitatis. Quapropter ex horum Patrum testimonijs, nihil colligi potest de definitione concilij Niceni. Basiliius vero in eo loco sine dubio non existimauit, sententiā Catholicā suo tempore fuisse certam aut ab Ecclesia definitam, quare fatendum est, aut definitionem

Concilii Niceni non fuisse omnino expressam, aut Basilium latuisse, nam Canones illius Concilij, etiam viuente Athanasio, fuerunt ab hæreticis magna ex parte corrupti vel occultati.

Ad alios Pa.
et.

Ad alia testimonia quarto loco posita dicendum est: sensum illorum Patrum eundem esse, quem in Athanasio explicuimus, scilicet hæreticos non posse dare sanctificationem per Baptismum his, qui eo animo & spiritu ab eis baptizantur, ut cum eis in errore vel schismate conueniant, quod est verissimum, & in vniuersum affirmari potest de quolibet prauo ministro, si ille, qui ab eo sacramentum suscipit cum eo in malitia, vel sacrilegio communicat, nam tunc suscipiens ponit obicem effectui sacramenti, quæ est propria & proxima ratio non recipiendi effectum non vero, quia minister careat potestate illum conferendi, & hoc insinuauit Aug. lib. 2. contra Parm. c. 18. ubi concludit, neminem coniungi cum infideli, nisi qui talia facientibus fauet, & iniqua, vel agit, vel approbat, & libr. 1. de Bapt. c. 2. dicit. eum qui in extrema necessitate sacramentum ab hæretico accipit, Catholice, sancte, atque adeo fructuose accipere: quod etiam expresse docet lib. 6. de Bapt. c. 5. Et iuxta hæc explicanda est quadam alia locutio, qua sæpe Aug. vtitur in lib. contra Donatist. dicit enim potestatem remittendi peccata datam Ecclesie, quatenus ex iustis & sanctis constat, qui loquendi modus potest erroneum sensum inducere, si quis intelligat, solos ministros seu sacerdotes iustos posse remittere peccata, quod absolute loquendo, falsum est: nam siue sacerdotes sit iniquus, siue iustus, fidelis, vel infidelis, potest remittere peccata, si suscipiens non ponat obicem, & minister potestatem iurisdictionis in eum habeat, si de sacramento Penitentie sit sermo. Sensus ergo Augustini est, nemini remitti peccata nisi quatenus charitate coniungitur Ecclesie, quæ ex iustis & sanctis constat, propter quam data est potestas ministris sacramentorum, & ideo dicitur illi specialiter data, & minister dicitur operari specialiter, ut huius Ecclesie minister, cui per charitatem coniungit eos, quos per sacramenta sanctificat, eisque peccata remittit.

4 Obiectio.

Quarta obiectio esse potest: quia hæreticus non est membrum Ecclesie, caret enim fide quæ est primum vinculum membrorum Ecclesie: ergo non potest operari, ut minister Ecclesie: nam corpus non operatur, nisi per membra sua, ergo non potest conferre sacramenta, nam ministri sacramentorum operantur ut ministri Christi, & Ecclesie. Rursus, ubi non est vera Ecclesia non possunt esse vera sacramenta: nam sacramenta soli Ecclesie Christi data sunt: sed inter hæreticos non est vera Ecclesia: ergo nec vera sacramenta: ergo illa, quæ ipsi conferre tentant, non sunt vera sacramenta. Respondetur ad priorem partem licet hæreticus non sit membrum Ecclesie, quoad substantiam (ut ita dicam) seu formam constituentem tale membrum in esse membri Ecclesie, nihilominus, quoad ministerium se gerere, ut Christi minister: nam Christus, non solum per membra sibi coniuncta, sed etiam per abscessa operatur, eisque vtitur in sua Ecclesie utilitate, & hoc sensu ait Aug. lib. 1. de Bapt. c. 10. Christum assistere hæretico homini conferendi sacramentum iuxta ritum ab ipso institutum propter ipsius ministerij & sacramenti sanctitatem. Ad alteram partem, negatur propositio assumpta, nam licet sacramenta soli Ecclesie data sint, possunt tamen ab his, qui sunt extra Ecclesiam, impie atque iniuste usurpari, & ideo vera sacramenta extra Ecclesiam inueniri possunt, quamuis vbicumque sint, potius dicenda sunt sacramenta Ecclesie: quam hæreticorum: sicut Euangelium etiam dici potest proprium Ecclesie, quia illi datum est, & nihilominus inter hæreticos reperiri potest verum Euangelium, inique tamen usurpatum ac male intellectum.

DISPVATIO XIV.

De subiecto apto ad suscipienda sacramenta.

Dispuationem hanc prætermisit D. Th. in hac materia de sacramentis in genere, inferius vero de singulis sacramentis disputans, nunquam fere illam prætermittit, quia cum subiectum susceptiuum sacramenti sit aliquo modo causa eius in genere causa materialis, eius cognitio pertinet ad exactam scientiam sacramenti, & causarum eius tradendam. Et propter eandem rationem visum est, nonnulla de hac causa sacramentorum præmittere, tum ad materiam complementum, tum etiam ut faciliorem parem viam ad ea, quæ de singulis sacramentis dicenda sunt. Tria vero sunt, quæ de subiecto susceptiuo sacramenti considerari possunt. Primum, quid ex parte eius requiratur ad valorem sacramenti. Secundum, quid necessarium sit ad sacramenti effectum obtinendum. Tertium, quo modo dignè suscipiatur. Ex his vero tribus secundum late superius tractatum est disput. 7. sect. 4. De tertio vero inferius dicendum est in parte moralis: solum ergo superest, ut de primo puncto dicamus.

SECTIO I.

Quam sint capaces sacramentorum.

Ex hæreticis quidam dixerunt, solos prædestinatos esse capaces sacramentorum, qui error tribui solet Ioanni V. Vicleph, & Ioan. Hus. de quorum errore satis dictum est in præced. disp. de ministro, est enim, quoad hoc eadem ratio de ministro, & de suscipiente. Alij vero dixerunt, solos iustos esse capaces sacramentorum, cum quibus agemus sect. seq. Omnis ergo hæreticus.

Dico primo, solos homines viatores esse capaces sacramentorum. Est res certa & euidentis suppositis principiis fidei, quia sacramenta instituantur ad sanctificandos per gratiam eos, quibus conferenda sunt (agimus enim præcipue de sacramentis legis nouæ: ergo tantum illi sunt capaces horum sacramentorum, qui sunt capaces gratiæ: huiusmodi autem sunt solæ creaturæ rationales: cum autem sacramenta sint ceremonie sensibiles, neque ad angelos pertinent, neque illi esse possunt capaces eorum, & eadem fere ratione non pertinent ad beatos homines, etiam si admittamus, aliquos iam esse corpore gloriosos, quia usus harum ceremoniarum & sensibilibus signorum, valde alienus est ab eorum felici statu. Eo vel maxime, quod sacramenta sunt instituta ad gratiam dandam vel augendam: cum tamen neque angeli, neque beati omnes in statu sint, in quo possint gratiam vel augmentum eius acquirere. Dices: sacramentum posse separari ab effectu suo, ergo ex incapacitate effectus non potest colligi incapacitas sacramenti. Nonnulli enim existimarunt, B. Virginem post conceptionem Filij sui fuisse incapacem augmenti gratiæ, cum tamen non negaret, nec negare possent, esse capacem sacramenti. Respondetur, quamuis valor sacramenti & effectus eius quoad actum, non sint necessario coniuncta, tamen quoad capacitatem ex parte subiecti, ipsa ratio, & institutio sacramenti postulat, ut habeant necessariam connexionem. Quia sacramenta sunt instituta à Christo instituta, ad dandam gratiam: ergo ex institutione sua, tantum sunt ordinata ad personas gratiæ capaces, & pro illo statu in quo sanctificari possunt: & ita Christus Dominus, vbicumque de sacramentorum institutione vel dispensatione sermonem habet, ad huiusmodi personas illum dirigit, ut cum dixit. Docete omnes gentes, baptizantes eos. Non enim docentur, ab hominibus, nisi

Hominis via
totes solum
esse sacramen-
torum cap-
ta.

Obiectio.

Solutio.